QUID AD MORES INGENIAQUE AFRORUM COGNOSCENDA

CONFERANT SANCTI AUGUSTINI SERMONES

Aquis Tarbellorum. — Typis mandaverunt H. LABEQUE & soc.

QUID AD MORES INGENIAQUE AFRORUM COGNOSCENDA CONFERANT SANCTI AUGUSTINI SERMONES

THESIM

Facultati Litterarum Burdigalensi proponebat

A. DEGERT,

In Aquensi Schola Profess or.



LUTETIAE PARISIORUM

APUD V. LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

90, Via Dicta Bonaparte

—

MDCCCXCIV



Leontio COUTURE

In libera litterarum Facultate Tolosana Decano

HOCCE GRATISSIMI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

A. DEGERT.

PROOEMIUM

Inter multas laudes, quibus sancti Aurelii Augustini opera commendantur, antiquitatis studiosissimum quemque delectat, quod ingenium moresque ejus aetatis qua scripta sunt ante oculos nostros ponunt. Hoc maxime agnoscet qui operum illam partem attendet quae coram populo aut recitata aut pronuntiata fuit. In hac enim evangelicae doctrinae praeconem seu, ut aiunt, praedicatorem audimus; at praedicatori cuilibet humanae vitae condicio omnis casusque aut tempora perlustranda per tractandaque contingunt. Non enim in evolvenda fidei doctrina modo versatur, sed et praecepta tradere studet quibus audientium mores informentur. Itaque nulla est vitae pars neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, quae praedicatoribus non sit curae.

Ad eam rem intentum animum christiani oratores maxime quarto saeculo primum habuerunt. Etenim, ineunte Ecclesia, christiana doctrina contra persequentium imperatorum edicta defendenda fuit; sed, Ecclesiae data pace, christiana eloquentia, sui compos, tota in hoc - quod proprium munus esse ducit — incumbere potuit, ut fidelium animos edoceret quo melius mores institueret.

At saepius, ut assolet, agendi ratio cum doctrina discrepabat. Quod coram se accidere semel atque iterum Augustinus dolet, atque, quo magis fideles intelligant caveantque, vitae rationem cum praeceptis confert et sub oculos ponit quid sanctorum exempla doceant, quibus in rebus, quotve modis peccetur. Inde nobis rerum indiciorumque magna seges, cum eo modo Augustinus declaret quid auditores sentiant quidve agant.

Illa morum specimina, quae in Augustini sermonibus inveniuntur, colligere hoc loco fuit nobis propositum. Utinam, eo pacto, dum materiam plane depicturo haec tempora scriptori paramus, aliquantum prospectum ad Afrorum ingenia moresque, qualia quarto saeculo exstiterunt, praebeamus! Haec sane aetas digna esset cujus imago tota nostris oculis exhiberetur. Tum enim dirimitur pugna illa qua, summa cum contentione, antiquorum deorum cultus et christiana religio inter se abhinc trecentos annos decertabant; pro christianis stat victoria; novus rerum ordo nascitur, sed, dum antiqui cultus vestigia in vita publica privataque supersunt, non sine operae pretio erit cernere quo studio modove christiana religio, haec eradicare, animos sua doctrina imbuere moresque disciplina nova informare conetur. Sed priusquam tantum opus suscipiatur quod in hac aetate describenda judicandaque constaret omnes testes audiendi sunt. Unum locupletem, ut opinor, egregium insignemque pro virili parte hic interrogare voluimus ejusque

testimonia dissipata diffusaque in certa genera cogere et expendere.

Augustinum tamen, si in sermonibus tantum audimus ne quis miretur. Etenim non tam infiniti quam inutilis laboris fuisset omnia ejus opera perlustrare, quae tam multa tantaque sunt, cum in sermonibus inveniantur quae ad propositum consilium plurimum conferunt. Volumus tamen omnes sciant *Sermonum* nomine nos omnes orationes quas Augustinus coram populo habuit, comprehendere quoquo nomine inscribuntur sive *Enarrationes in Psalmos* sive *Tractatus in Joannis Evangelium.* Si quid praeterea in ceteris ejus operibus inest quod ad consilium nostrum apte conducat indiciaque illustret, quae sermonibus traduntur, usurpare non dubitabimus.

Ex his igitur fontibus hauriemus atque in duobus capitulis ea congeremus quae sive ad vitam Afrorum publicam, sive ad vitam privatam cognoscendam aliquid afferunt. At praemittendum capitulum esse duximus quo a nobis exquiratur quatenus Augustino ejusque sermonibus fides praestari possit.

(1) Ad haec aliis operibus usi sumus, inter quae recenseri possunt : « *Vita sancti Aurelii Augustini Hipponensis episcopi auctore Possidio Calamensi episcopo.*

Vita sancti Aurelii Augustini ex ejus potissimum scriptis concinnata in limine Mignianae editionis.

VICTOR VITENSIS. — *Historia persecutionis vandalicae.*

TILLEMONT. — *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles T. XIII.*

POUJOULAT. — *Histoire de saint Augustin.*

BOUGAUD. — *Histoire de sainte Monique.*

EBERT. — *Histoire de la littérature latine chrétienne.*

AD. RÉGNIER. — *De la latinité des sermons de saint Augustin.*

MORCELLI. — *Africa christiana.*

L'ABBÉ L. DUCHESNE. — *Les origines chrétiennes.*

» » *Les origines du culte chrétien.*

V. DURUY. — *Histoire des Romains T. VII.*

G. BOISSIER. — *La Fin du paganisme.*

AM. THIERRY. — *Saint Jérome : la société chrétienne à Rome.*

Corpus inscriptionum latinarum T. VIII.

P. DELATTRE. — *Notes Archéologiques et Epigraphiques et Inscriptions chrétiennes provenant de la Basilique de Damous-El-Karita à Carthage.*

PALLU DE LESSERT. — *Fastes de la Numidie sous la domination romaine.*

» *Vicaires et comtes de l'Afrique.*

» *Les assemblées provinciales et le culte provincial dans l'Afrique Romaine.*

R. CAGNAT. — *Rapports sur les recherches et découvertes archéologiques dans l'Afrique du Nord* in *Bulletin archéologique du Comité des Travaux Historiques.*

Recueil des Notices et Mémoires de la Société Archéologique du département de Constantine.

Bulletin de l'Académie d'Hippone.

Bulletin de la Société de Géographie et d'Archéologie de la province d'Oran.

CAPUT PRIMUM. — Quatenus Augustino ejusque sermonibus fides praestari possit.

Priusquam cuilibet testi fidem adhibeamus scire cupimus an is cuncta facta cognoscere potuerit atque dicere velit. De Augustino haec duplex eo magis quaestio solvenda est quod eum plurimis de rebus hominibusque et iis saepe inimicis sumus audituri. Nobis igitur primum erunt hujus testis scientia et integritas explorandae.

Art. I. — An suae aetatis mores Augustinus cognoscere potuerit

Num Augustinus in ea rerum condicione versatus fuerit in qua aetatis sua mores cognoscere posset, nemo dubitabit qui modo memoria ejus fortunam vitaeque tempora perlustrabit. In Africa enim natus est, in ea scilicet provincia quae romanorum morum et linguae latinae ita particeps erat ut exsulibus ea, perinde ac Italia, interdiceretur (1). Ei admodum puero certamen spectandum occurrit quo ferme ubique per romanum imperium antiquus cultus religioque nova inter se pugnabant ; parentum enim alter Patricius deorum cultor erat ; altera christianae religioni erat addicta. Ipse autem ubi Thagastae provincialium oppidorum mores agnoscere primisque litteris imbui potuit, Madauras studiorum causa mittitur. Ibi tum etiam plurimi cives hujus urbis « forum salutarium numinum frequentia possessum cernebant et probabant. » (2) At mox, transacto grammaticorum studiorum curriculo, ut rhetoricam edisceret, Carthaginem Augustinus profectus est. Absolutam ibi vitae romanae imaginem intueri primum potuit. Haec enim *alma Urbs* (3), ut ab Afris vocitabatur, Africae Roma dici merito poterat cum ferme eumdem in Africa locum obtineret (4), quem haec in Italia. Armis quidem non jam contendebat, sed vix primas partes concedebat in aedificiorum magnificentia, in munerum ludorumque apparatu, in incolarum numero, in scholarum copia, in deliciarum abundantia. Cum aetate floreret, non ea indole erat Augustinus ut tot voluptatibus absisteret. Ad omnia igitur praeceps sese convertebat quae oculos sollicitabant ; theatricis spectaculis, initio saltem, aderat, cum protervis amicis, quamvis saepe invitus, lasciviebat ; impuro amori, indulgebat, deorum etiam festis intererat. Haec omnia postea moerens notabit damnabitque, at nunc

(1) Tacit. *Annal.* 11,50. — (2) Aug. *Epist.* XVI. — (3) *Gest. coll. Carth.* initio. — (4) Cf. Herod. l. VIII c. 9.

consectabatur nihilique faciebat christianae legis praecepta quibus prohibebantur. Nam quamvis, suadente matre, in numerum catechumenorum puer nomen dedisset, christianam religionem Carthagine ferme ejuraverat et in Manichaeorum sectam migraverat.

At brevi Augustinum, cum e discipulo magister factus esset, pacatioris studii majorisque laudis amor Romam traxit. Multa ibi, quae homini novarum rerum avido mirationi futura erant, juvenem magistrum manebant. Nulla enim alia civitas tot rerum spectacula, tam variam hominum imaginem condicionemque praebebat. Quamvis enim post Constantinopolim conditam, absentibus imperatoribus, ejus gloria esset imminuta, summa semper cum veneratione populis colebatur ea urbs, mundi regina, imperii sacrum caput. Ibi plurima antiquae laudis et religionis monumenta templaque, tum etiam · intacta quamvis deserta supererant. Sed jam certo futurae victoriae signa quoque nova religio prae se ferebat cum christianorum numerus semper augeretur. Si ejusmodi spectaculo Augustini oculi tunc commoveri potuissent, inter christianos totius orbis illam romanam Ecclesiam antiquitatis doctrinaeque fama, episcoporum auctoritate,divitiis praediisque ceteris praestantem vidissent. Huic tunc praeerat Damasus « vir omni genere praeditus » (1) sub cujus principatu christiani ad extrema vitiorum aut virtutum venerant. Etenim dum clerici per jurgia et certamina odiis et sanguine basilicas maculant (2), sanctissimae integerrimaeque vitae, quam unquam Roma vidit, exempla praebebant Melania, Paula, Eustochium, Fabiola, Asella, et aliae matronae quarum fama per totum orbem sancti Hieronymi opera celebrabatur.

At nondum in haec, credo, Augustinus oculos convertit, quæ postea valde mirabitur cum, mortua matre, iterum Romam christianus veniet (3). Magis fortasse senatum conspexit, qui ex nobilissimis romani nominis civibus semper constabat. Inter hos clarissimi erant P. Attalus, qui postea ab Alarico imperator creabitur, Praetextatus, V. Nicomachus Flavianus (4) et in primis Q. Aurelius Symmachus Urbi praefectus, qui eo tempore contra Ambrosium Mediolanensem episcopum antiquæ religionis partes tuetur. Symmacho (5) autem non ignotus fuit Augustinus cum ab eo Mediolanum ad rhetoricam sumptu publico docendam missus sit. (6)

Nulla tunc altior specula, secundum Romam,exoptari poterat, quam ea urbs, ad quam ex omnibus imperii partibus tanquam ad imperatoris sedem, conveniebatur. Augustinum sane praeterire non poterant quæ in *Comitatu*,ut aiebant, seu circa imperatorem gerebantur, quippe cui consulum initia celebranda oratione

(1) Theodoret. *Hist.* II. 22. — (2) Amm. Marc. XXVII 3 et Ruf., *Hist. eccl.* II, 10. — (3) *De Moribus Eccl. cath.* *1. 31.* — (4) Hic quondam Africae vicarius fuerat, ut ex Aug. *Ep* 87 n. 2 constat, annis 376 et 377. — (5) Nuper Symmachus Africae proconsul fuerat (373-375). — (6) *Confes.* lib III, 6.

publica mandarentur. Sed ante omnia Ambrosius episcopus oculos Augustini commovit. Qui quondam Aemiliae praeses, nunc Ecclesiae Mediolanensis episcopus, genere clarus, eloquentiae decore ornatus, animi fortitudine christianaque eruditione plurimum valebat. Huic cum occurit, jampridem Augustini animum in Manichaeorum religione deprehensi errores angebant, quos auferre doctissimi sodales non potuerant. Dubiam igitur magis in dies mentem, dein per Academicorum placita errantem, matris Mediolanum secutæ preces hortamentaque commovebant ; sed haerentem Ambrosii auctoritas vicit, cujus orationes sermonesque libentissime excipiebat. Tandem voluptatum vinculis irretitum diuque reluctatum, ut ex *Confessionum* libris (1) perspici potest, transfugam catechumenum triginta et tres annos natum christiana religio recepit.

Tam absolutae Augustini emendatio conversioque fuerunt ut, e baptisterio egressus, magisterium abjecerit Africamque, mortua matre, petierit discedendi studio ab his, quae sunt in bona vita, ejusque ducendae vitae quam *asceticam* dicebant. Hanc jam tertium annum ducebat cum amicis omnem studiis operam conferens, cum presbyter et postea episcopus Hippone-Regio creatus concionisque agendae munus pro Valerio latini sermonis ignaro episcopo suscipere est coactus. (2).

Haec urbs juxta mare ad Ubium flumen a Carthagine quindecim leucas sita a Phoenicibus condita, post Carthaginem deletam Massinissae regi ejusque successoribus concessa fuerat et inde *Regia* dicta ; quo nomine ab Hippone Dyarrhito discerneretur. Cum in Romanorum ditionem Numidiae regnum venisset, Hippo-Regius romana colonia facta fuisse videtur, (3) neque in Provincia Proconsularis Numidiae (4) infimum locum obtinebat, cum magistratus inveniamus in inscriptionibus gloriantes quod Hippone munia obierint. (5) Ex inscriptionibus quoque nobis innotuit omnibus honoribus muneribusque coloniarum Hipponem donatum. Ibi enim duumviros, (6) Augusti flamines, (7) decurionum ordinem (8) populumque in curias distributum (9) muneraque gladiatoria a primoribus civium edita (10) videmus. Augustini

(1) *Conf.* III. 6. — (2) Aug. Serm. 355. 2. et *Vita Augustini auctore Possidio* IV. — (3) *De Civit. Dei* XXII 8 — (4) Tissot. *Géographie comparée de l'Afrique.* II p. 44. — (5) « *C Suetrius Sabinus legatus provinciae Africae regionis Hipponensis* » C. I. L. X 5178. *N. legatus provinciae Africae dioeceseos Hipponiensis* C. I. L. IX. 1592. — (6) L. *Postumio Felici Celerino, a mil(itiis), flam(ini) Aug(usti) p(er)p(etuo) pontifici, duumvir(o) ob magnificentiam gladiatorii muneris quod civibus suis triduo edidit, quo omnes priorum memorias supergressus est obque ejus innocentiam splendoremque et in patriam suam incomparabilem amorem singulae curiae singulas statuas de suo posuerunt ut eximiam voluntatem ejus tanti honoris titulis adaequarent. L. D. D. D.* C. I. L. VIII 5276. — (7) Ibid. — (8) Ibid. — (9) Ibid. — (10) Ibid.

tempore thermas (1) Sossii, circum (2) et theatrum (3) habet et fere quadraginta millia incolarum complecti videtur. (4)

Si religionem aspicias, jamdudum maxima Hipponensium pars christiana est cum Theogenem quemdam Hipponensem episcopum ei concilio adesse videamus, quod ducentesimo quinquagesimo anno Carthagine sub Cypriano episcopo est habitum (5) In hujus honorem erat Hippone aedificata Memoria seu Ecclesia (6) quae Major aut Pacis basilica dicebatur. In alia Memoria colebantur viginti Martyres de quibus non semel Augustinus mentionem habet. (7) Erant praeterea duae Memoriae quarum altera Leontii, (8) altera Stephani (9) titulo inscribebantur. Quamvis tot Ecclesiae essent, non omnes tamen incolae catholicam religionem profitebantur ; tam multi aderant Donatistae ut diu tempore Augustini suae partis episcopum habuerint. (10) Neque ei soli haeretici sed et multi Manichaei, saltem cum Augustinus presbyter est creatus, inerant, eisque episcopus et clerici sui praeerant (11).

Neque tamen pertimescendum est quominus intra suae civitatis moenia propter episcopale munus inclusus minus aptus fiat Augustinus ad ea cognoscenda et illustranda quae ex ejus sermonibus inquiremus. In ea enim non modo oculos convertit, quae ab Hipponensibus piscatoribus nautisque geruntur, neque de his tantum cum nobis est collocuturus. Etenim, quamvis episcopi primum munus in sua civitate consistere ducat fidelesque sui eum abesse aegre ferant, alias Africae civitates saepe adire cogitur. Modo enim concilium sive Carthagine sive in alia civitate habendum est, ad quod Africae mos est semel aut bis quotannis episcopos convenire, modo eligendi sunt episcopi, aut passim redarguendi haeretici et pagani ; quae omnia Augustinum Hippone avocant et per omnes Africae civitates ducunt. Itaque ejus multi sermones in variis Africae civitatibus nempe Bullae, (12) Uticae, (13), Caesareae (14) habiti sunt, plures etiam Carthagine, (15) in qua urbe verba saepius fecit sive ad Mensam Cypriani, sive in Basilica Restituta aut in aliis.

Neque igitur in solis Africae rebus sed et totius imperii partibus intentum Augustinum videmus. Portus enim erat Hippo-

(1) *Acta contra Fortum. Manich.* I, 1. — (2) S. 9, 13 — S. 128, 9 — *En. in Ps.* 39. 9, in Ps 53 n. 10. — (3) S. 241 n. 5 — S. 198. — (4) Cf *Recueil des Notices et Mémoires de la Société Archéologique du Département de Constantine* XX p. 90 — (5) Hard. *Conc.* I *Carth. Concil.* — (6) S. 273 7. S. 310. S. 320,4. Ep. 29. — (7) *De civ. D.* XXII. 8, S. 325, S. 326. — (8) *De civ. D.* XXII. 8. — (9) S. 356 — (10) *Cont. Petil.* l. III. — (11) Possid. *Vit. Augustini.* c. 6. *Contra Fortunat. Disput.* II. — (12) S. XVI 7 ex editis primum a D. Migne. — (13) *En.* in Ps. 144, 1. S. 306. — (14) *De Doct. christ.* IV 24. — (15) Quinquaginta novem sermones indicia prae se ferunt quibus innotescit eos Carthagini habitos inter quos recensere possumus sermones. 13, 14, 15, 19, 23, 24, 26, 29, 30, 34, 36, 37, 41, 62, 90, 114, 131, 151, 152, 154, 155, 156, 163, 165, 169, 174, 179, 258, 277.

Regius, ad quem multae graecae (1) naves conveniebant appellebantque annonariae (2) naves romanae epistolas nuntioque excipientes aut afferentes ; inde facile Augustino cum amicis commercia patebant, neque ad ullum hujus aetatis virum, si forte Hieronymum excipias, tot epistolae scribebantur. Indignatur quidem Erasmus (3) tot epistolis « tot quaestionibus subfrivolis nec multum facientibus ad pietatem Augustinum exerceri. » At huic indignationi non nos assentimur cum ita factum sit, ut in Augustini notitiam veniret quidquid per christianum orbem contingeret. Per epistolas enim Fabiolae, Probae Faltoniae, Italicae, Licentii, Simpliciani, Innocentii et praesertim Paulini italarum romanarumque rerum certior Augustinus fiebat. Hieronymus vero ea nuntiabat quae per orientales Ecclesias disputabantur gerebanturque, Orosius, Victorianus et Prosperus quae per Hispanias Galliasque ; quod autem pagani sentiebant, per epistolas Maximi Madaurensis, Nectarii, Longiniani, Dioscori Volusianique declarabatur ; quod haeretici per epistolas Dulcitii, Consentii, Elpidii, Casulani, Optatique ; sed, quae in *Comitatu* imperatoris aut in magistratibus occurrebant, mandabant Olympius, Donatus proconsul, Cresconius, Generosus Numidiae consularis, Macedonius, Marcellinus, Bonifacius, (4) Non plures nominabimus ne satietatem afferamus ; jam ceterum satis apparet apud Hipponensem episcopum Orientem et Occidentem diversissimosque gente, religione aut condicione homines commeatibus connecti.

Ad haec si addes Augustinum, tam acutae mentis virum, jam ferme quadraginta annos natum cum primum ad sermones habendos accesserit expertumque esse tam varia vitae genera, facile confiteberis aptissimum eum esse ad res aetatis suae hominumque ingenia et mores illustranda.

Art. II. — An omnia vera Augustinus dicere voluerit.

Sed non satis nobis esset Augustinum omnia novisse quæ exquirimus, nisi eadem declarare vellet. Quid ad detegendum verum testis scientia prodest mendacio vitiata ? Non erat sane is Augustinus qui mendacii conscius res falso sub aspectu audientibus in cathedra praeberet ; nunquam igitur commisit ut consulto virtutes amicis falsas aut ficta inimicis scelera tribueret, at multae subtiliores causae sunt quae ad rerum speciem mutandam quantumvis integerrimum hominem inscium inducunt. Patiuntur rhetores « mendaciunculis res aspergere oratores » saepiusque illi ea licentia utuntur quo bona malave vero majora dicendo exhibeant ; neque ejusmodi periculum

(1). — S. 180.5. — 2. --- Hoc conjici potest ex quadam inscriptione in honorem V. Flavii T. F. posita, qui dicitur *curator frumenti comparandi in annonam urbis* idem que « *procurator Augusti praediorum saltus Hipponiensis.* » C. I. L. VIII. 5,351. — (3) Praef. ad lectorem Ed. 1527. --- (4) V. Epistolas ad hos scriptas aut ab his exceptas T. II, passim.

praedicatores effugiunt quippe qui censeant audientium virtutes celandas minuendasve sed augenda vitia quo ab his ipsi magis deterreantur parumque sibimetipsis fidentes majore studio ad meliorem frugem promoveantur. At Augustini tempore aliud genus discriminum praedicatoribus instabat. Cum in tam acri opinionum certamine, plerumque ab tenuioribus saltem auditoribus hominum doctrinae ex eorum agendi modo aestimarentur, non mirandum si praedicatores ad id libentius ostendendum fuerint proni, quod malum in hostium moribus inesset, et ad ea silentio praetermittenda mala, aut ad bona augenda quae sodalibus occurrerent. Ab Augustino autem hanc non vitatam semper culpam credi potest, cum eum tam pauca de imperii cladibus dicentem videamus ne copiam objurgandi paganis afferat ; aut multo pauciora in clericorum moribus reprehendentem quam ex conciliorum ejus aetatis praeceptis aut ex Hieronymi epistolis conjicere licet. Hic legentes universe generatimque monere nobis satis sit ; postea cavebimus, cum tempus advenerit, ne praedicatoris verbis nimium fidentes erroris periculum adeamus.

Sed alio ex vitio, quod difficilius percipitur, Augustini testimonium minus locuples fieri posset. Nemo enim illius aetatis epistolas aut panegyricas orationes legit quin animadverterit quam parum cum rebus moribusque illae consonent ; nulla ibi temporum discrimina, sed laudum farrago, quibus Constantinus, Constantius, Valentinianus aut Honorius non secus ac Augustus, Trajanus, Diocletianus aut Julianus celebrantur ; ita ut eas diceres meras exercitationes esse ad praeceptorum scientiam ostentandam. Instituentibus igitur Augustini sermones scrutari primo timor subire posset, ne is rhetorum discipulus atque magister, in cathedram rhetorum artes et fastidia ferens, tenuiorum vitae moribusque parum animum adverteret, aut, si adverteret, ne horum negotia, usus artesque idoneis verbis, utpote vulgaribus nimis, indicare non auderet. Quo pacto nobis multa indicia eo pretiosioria auferrentur quod plerumque a rerum scriptoribus negliguntur. Sed Augustini opera aggredientes ejusmodi timore immunes esse licet. « Christiana enim caritas, ut ait Erasmus (1) prius habet prodesse quam plurimis quam probari praecipuis, fraternae salutis quam suae gloriae sitientior ». Quod esse munus officiumque praedicatorum nemo tam persuasum habuit quam Augustinus. Quis longius aberat ut coram hominibus indoctis loquendi taedio afficeretur quam qui de catechizandis rudibus minutissima praecepta tradidit atque cum suae gloriae discrimine maxime servavit ?

Etenim ab existimatoribus est animadversum in dicendo parum valuisse Augustinum ac, praesertim in sermonibus, oratoria laude plane caruisse. Utrum recte illi senserint necne non nostrum

(1) Aug. Opera omnia Edit. Bas. 1527. *Praef.*

investigare. Non enim hic inquirendum suscepimus qualis Augustinus orator fuerit sed num is fuerit quem rhetoricae praeceptorum violandorum discrimen ab audientium moribus liquido significandis averteret. At ejus verba magnam nobis securitatem afferunt fidemque confirmant : « Melius est, ait, ut reprehendant nos grammatici quam non intelligant populi (1)... Sit lingua popularis dum doctrina sit salutaris » (2) Itaque eo solum timore angitur, ne satis populi intellectui sese accommodet. « Contristor, ait, linguam meam cordi meo non potuisse sufficere. Totum enim quod intelligo volo ut qui me audit intelligat » (3) Etsi ultro ipse nos non monuisset, ex ejus loquendi modo appareret in id toto animo Augustinum incubuisse ut populo se exaequaret. Siquidem in verbis sive fingendis, sive eligendis, sive serendis collocandisque plane rhetorum placita praeceptave est oblitus. Qui olim Scripturarum inculto sermone tam vehementer offendebatur (4), non horrescit verba *ossum*, *blasphematorem*, *laturarium*, *attestatorem*, *rebaptizatorem*, *respiramentum* et cetera ejusdem modi ; (5) loquitur etiam inter contionandum de *offa suilla*, audientesque cum utribus (6) modo plenis modo vacuis confert.

At non satis est oratorem a populo intelligi, oportet eum libenter audiri. Quae res non Augustinum fugit, qui in *Doctrina christiana* (7) docet non auditorem moveri ad bene agendum, nisi audiat, neque audire, nisi audiendo delectetur. Quanto studio ad id Augustini intenderit ut auditores delectaret, ex ejus Scripturae interpretandae modo coram plebe primum perspici potest. In sermonibus enim abundant praesertim illae allegoriae disputationesque de numerorum significatione quae nobis saepius risum bilemve movent. Augustinus quidem, ut postea videbitur, exemplum Ambrosii est imitatus ; at rem usque ad nauseam et vitium duxit. Quidquid in Scriptura sacra narratur, figura est. Isaac senex vetustatem veteris Testamenti significat ; caligo oculorum ejus caliginem mentium Judaeorum. Rebecca typum gestat Ecclesiae : pelles hoedinae, quibus vestitur Jacob, significant peccata aliena (8) « Quinque lapides, quos e fluvio tollit cum Gollia pugnaturus David, opinione multo plurium mysteriorum pleni sunt. Quinque lapides sunt quinque libri Moysis. Fluvius ex quo sumuntur, significat populum fluxum deditum temporalibus, amantem transeuntia et cupiditatis impetu in mare hujus saeculi decurrentem, qualis erat populus Judaeorum vetus. Quid significat quod de fluvio sunt ablati et in vase pastoritio positi nisi quia in adventu Domini nostri Jesu Christi, ut vere Diabolus vinceretur, lex transiit ad gratiam » (9) Sexcenta alia exempla referri possent : at qui scire velit quid in ejus modi figuris Augustinus excogitare potuerit, adeat centesimi tertii Psalmi explanationem, in quo de crucis (10) significationibus loquitur ; sed saepe eo res

(1) In Ps. 138 n. 20. — (2) In Ps. 32 n. 2. — (3) *De catech. rud.* II. — (4) *Conf.* III, 5. — (5) Ea de re vid. *De la latinité des sermons de s Augustin par Ad. Règnier*. — (6). S. 36 n. 2. — (7) *Doctr. christ. IV* 12, 13. — (8) S. 4 n. 12. — (9) S. 32 n. 7. — (10) In Ps. 103 S. 1 n, 15.

venit ut, in quemcumque sensum verba sumas, figura occurrat diversa : sive enim luna dicitur, ut quidam volebant Augustini temporibus, suum habere lumen ejusque globum dimidium lucere quasi pilam ex dimidia parte candidam et ex dimidia parte obscuram, sive a sole illustratur, « Ecclesiam significat sive quod ex parte spirituali lucet, ex parte autem carnali obscura est, sive quod ab unigenito Dei Filio illustratur ». (1)

Hoc nos movet ad credendum Augustinum per allegoriarum usum non tam sibi quam Hipponensi plebi indulsisse, quod ipse aliquando quasi petentibus rerum figuras indicare videtur audientesque praemonere cogitur ne praecipites sint in fingendis figuris : « Ante omnia tamen, inquit, fratres, hoc in nomine Domini et admonemus, quantum possumus, et praecipimus ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis quae gesta sunt prius illud, quod lectum est, credatis sic gestum quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestae, quasi in aere quaeratis aedificare ». (2)

Utinam praecepti proprii non tam saepe immemor fuisset, neque ex eodem consilio forte cum majore culpa peccavisset ! Ex eo enim popularibus auribus obsequendi studio manant illae ratiocinationes aut argutiae quae saepius pueriles videntur ; ut cum tardos in mutandis moribus christianos corvorum more clamantes exhibet (3) ; aut cum hoc modo approbat Adami nomine terrarum orbem significari « Quatuor, inquit, litterae sunt A.D.A.M. Sicut autem Graeci loquuntur, quatuor orbis partes hae in capite litterae habent, 'Ανατόλην dicunt Orientem, Δύσιν Occidentem, 'Αρκτον Aquilonem Μεσεμβρίαν Meridiem, habes Adam, ipse ergo Adam toto orbe terrarum sparsus est » (4)

Non mirum igitur si, cum ad hanc loquendi rationem veniat, non ex rhetorum praeceptis orationes sed familiares et fere quotidianos sermones instituit. Itaque abjectis abundat sententiis, domesticis similitudinibus, et velut alternis colloquiis ; ita ut haec inter sedentes in plano magis quam e cathedra ab eo episcopo habita diceres quo doctior nemo alius exstitit : « Debitores sumus, ait, non pecuniarum sed peccatorum. Dicis modo forte. Et vos ? Respondemus : Et nos. Et vos episcopi sancti debitores estis ? Et nos sumus. Et vos ? Absit, Domine, noli tibi facere injuriam. Non injuriam mihi facio sed verum dico : debitores sumus. » (5) Non mirum si in ejusmodi sermonibus locus fit vitae consiliorumque communicationi et societati inter oratorem auditoresque, si vitam praeteritam factaque sua in exemplum non semel Augustinus affert. Inter alia multa narrat se saepe juramento usum esse et quo modo hac consuetudine se exuerit : « Juravimus et nos passim, habuimus istam teterrimam consuetudinem et mortiferam. Dico caritati vestrae : ex quo Deo

(1) In Ps. 10 n. 3. — (2) In Ps. 44 n. 5. — (3) « Ipsa res est, inquit, quae multos occidit cum dicunt : cras, cras... Remansit foris cum voce corvina. Cras cras, vox corvi. S. 82 n. 14. — (4) In ps. 95 n. 15. — Tr. in Joan. IX, 14. — (5) S. 56 n. 11.

servire coepimus et quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer et veternosissimam consuetudinem timore frenavimus. Frenata restringitur, restricta languescit, languescens emoritur et malae consuetudini bona succedit. Denique non vobis dicimus non nos jurare; si enim hoc dicimus, mentimur. Quantum ad me pertinet, juro, sed quantum mihi videtur, magna necessitate compulsus. » (1) Ut ipsi ab eadem consuetudine deterreantur, in alio sermone cujusdam civis exemplo utitur, cujus nomen Tutuslymeni profert, et « quem omnes, ait, noverunt. » (2) Saepissime etiam auditores laudat aut vituperat prout bene aut male a novissimo sermone se gesserunt ; quin etiam quo consilio hunc vel illum interpretandum in Scriptura sacra locum susceperit indicat, aut qua mente, relicto eo quem domi paraverat, alium subito aggressus est. Non raro etiam inter contionandum consilia de domesticis rebus aut de mutuis conjugum officiis, (3) quae nemo praedicatorum in cathedram hodie afferre auderet. Sed in his recensendis non diutius immorabimur, siquidem satis compertum ducimus Augustinum ab moribus liquido significandis neque rhetorum praeceptis, quae contempsit, neque nostrorum praedicatorum pudore quem ignoravit, avocatum.

Art. III. — De Augustini sermonibus servatis

Si Augustinum loquentem nobis audire liceret, tuto igitur fidem praebere possemus ; at opera ejus tantum sunt legenda Inde nova nobis solvenda primum quaestio movetur, num servati ad nos ejus sermones genuini venerint.

Augustinus scriptis sane sermones non mandare prius solebat, quam in cathedra diceret. Tempus enim ei non suppeditabat praesertim cum solus Hippone, mortuo Valerio, episcopatum gessit. (4) Solebat igitur studio et mente tantum Scripturae interpretandae loca parare. Itaque saepe ei contingebat ut inter orandum in aliam materiam (5) sese converteret aut etiam rem non antea ullo modo paratam aggrederetur (6) At a notariis aut etiam a fidelibus sermones excipiebantur. Quod nemini mirum sit ; eo enim tempore, in civitatibus Africae multi notarii inveniebantur, ut ex multorum Collationum (7) actis constat, atque is sermonum excipiendorum mos vigebat ; profitetur enim Augustinus non a se damnari hos praedicatores qui alienos sermones conscriptos memoriae commendent et ad populos proferant (8) atque postulat ipse ab amico Aurelio Carthaginiensi episcopo ut sermones presbyterorum Carthaginiensium

(1) S. 180 n. 10. — (2) S. 309 n 5. — (3) Ea de re videri possunt sermones de quadragesima 204 et s. — (4) S. 24 n. 3. -- Ep. 33; 174 178. -- Poss. *Aug. Vit* c. 6, c. 19. ---- (5) Id. c. 4. --- (6) S. 352 n. 1. Praedicabat ille. - repentinis sermonibus. Poss. *Aug. Vita* c. 7. -- (7) Ep. 44. 2. -- Ep. 238, -- 1. --- (8) *Doct. christ.* IV, 29. ---

conscripti (1) ad se mittantur. Suos ipsemet declarat conscriptos, cum dicit « urgentibus fratribus se sua opera retractavisse antequam epistolas ac sermones ad populum alios dictatos, alios a se dictos tractare coepisset (2). Placuit, ait alibi, (3) fratribus non tantum aure et corde sed et stylo excipienda quae dicimus, ut non auditorem tantum sed et lectorem etiam cogitare debeamus » Cum vero de Trinitate agit, legentes monet ut, si quid amplius cupiant, adeant « id quod de hac re, ait, in sermone quodam proferendo ad aures populi diximus dictumque conscripsimus. » (4)

Hi autem conscripti sermones Augustino superfuerunt ut animadvertit Possidius (5) atque de his tanquam exstantibus mentionem in *Indiculo* habet, quem post dirutum Hipponem confecit.

Sed non in sola Hipponensi bibliotheca Augustini sermones inveniebantur. In manibus fidelium jam codices versari testatur Augustinus (6), neque inter catholicos sed et inter haereticos circumferebantur, auctore Possidio : « Hos ejus libros, aut, sive tractatus ipsi quoque haeretici concurrentes, cum catholicis ingenti ardore audiebant, et quisquis, ut voluit et potuit, notarios adhibens etiam ea quae dicebantur excepta descripsit. Et inde jam per totum Africae corpus praeclara doctrina odorque Christi diffusus et manifestatus est. » (7).

Exinde vero majore veneratione Augustini opera christiani colebant quam ut ea perire paterentur aut negligerent Epistolas et sermones Augustini innumera esse scribit Victor Vitensis ; (8) sermones autem apud Fulgentium Ruspensem episcopum memoratos reperimus, qui quaedam loca ex his excerpta profert (9). Sed non Africa sola Augustinum mirabatur ; jamdudum ejus sermones Galliae Hispaniaque noverant ; Cassianus noster, qui post Augustinum quinto anno mortuus creditur, secundum tractatum in Joannem refert ; (10) sermones, enarrationes in Psalmos et tractatus in Joannem non semel laudat Cassiodorus senator ; (11) ex his etiam nonnulla Caesarius Arelatensis excerpta ducit, quae suis sermonibus interponit (12) ; posteriore saeculo, Hispalensis Isidorus homilias (13) recenset inter ea Augustini opera quae novit. Ceteros vero scriptores qui de Augustini sermonibus mentionem postea habuerunt recensere tam infiniti quam inutilis operis esset, cum ex hac aetate servati codices manuscripti adhuc supersint.

Horum autem tanta copia est ut nondum recenseri potuerint,

(1) Ep. 41 -- 2. --- (2) Retract II sub fin. --- (3). In Ps. 51 n. 1. — (4) *De Trin.* XV 27. --- (5) *Vit. Aug.* c. XVIII. --- *Indiculus.* — (6) In Ps. 118 prooem : « Cum molestissime ferrent fratres mei ejus solius (Psalmi) expositionem deesse opusculis nostris. — (7) Pos. *Vit* c 7 (8) *Hist. pers. vand* II. -- (9) Ep. 5, Ep. 12, Ep. 14, Ep. 15. — (10) *De Incarn* c 7. — (11) In Psalt. praef. *De Inst. script.* In Ps 21. — (12) Hom 9 V. *Aug. Op.* Tom. V. *B B P P* suli fine. — (13) Hisp. *De scrip. Ecc.* VIII, XVI. —

neque sperari possit (si cuidam editori creditur, (1) fore ut unquam recenseantur. Nobis hic satis sit commemorare Patres Benedictinos triginta codicibus (2) in *Sermonibus* edendis, viginti quinque in *Enarrationibus*, viginti in *Tractatibus* usos fuisse.

Non praetereundum tamen silentio est, multum abesse ut codicibus, quamvis multi sint, omnes sermones comprehendantur. Etenim si omnes ex codicibus prolatos numeraveris, non plures quam mille habebis, sed multo plures Augustino habendi fuerunt ut merito conjici potest. In Occidentalibus enim ecclesiis, si Romanam excipis, solebant Episcopi quoties Collectae seu Missae praeerant, verba de Evangeliis aut de aliis scripturis praelectis facere. At collectae singulis diebus dominicis et martyrum festis, saepius etiam in Africa et interdum singulis diebus fiebant. (3) Itaque Augustinus aliquando per quinque dies continuos (4) sermones habuit. At cum per fere quadraginta annos Hipponensi Ecclesiae praefuit, plures certo quam quos habemus protulit. Saepe sane Hippone eum abfuisse diximus, sed non ideo a sermonibus agendis vacabat, cum fere semper in ecclesiis verba facere cogeretur : « Tantum, ait, mihi tributum est, ut ubicumque, me praesente, loqui opus esset ad populum, rarissime tacere atque alios audire permitterer. » (5) Multi igitur sermones perierunt; absunt etiam a codicibus nostris multi quos in *Indiculo* recenset Possidius (6) aut de quibus alii scriptores (7) mentionem habent.

At sicut multi Augustini sermones perierunt, ita multi codicibus nostris accesserunt, qui eis immerito ascripti sunt. Inter hos alii fraude, alii ignorantia, sub Augustini nomine prolati sunt. Jampridem Hipponensis doctoris fama ejusmodi fraudi incitamento fuerat; siquidem sub finem quinti saeculi, ut suas sententias tueretur, Tapsensis Virgilius (8) totum sermonem sub Augustini nomine conficere non dubitabat; postea hujus nefarium exemplum secuti librarii, et multi prolati sermones, qui nomine Augustini commendabantur, quo facilius venirent.

Quamobrem iis, qui prelo primum Augustini opera mandarunt, sermones genuini spuriique discernendi fuerunt, rem difficillimam utpote quae non prius fieri posset quam infiniti numeri codices cogniti, collecti collatique essent. Itaque progressu temporum tantum ad finem editorum multa ope res adducta est. Eos hic

(1) Aug. Op. Mign. *Suppl.* III. — (2) Ad horum enumerationem et descriptionem V. Migne. Ibid. — (3) Ep. 54. — (4) V. Tract *19*. 20, 21, 22, 23 — (5) *Retract.* prol. — (6) Perierunt sermones « *Ex eo quod scriptum est in Genesi fecisse Deum tertio die. Item alius de die quarto. Item alius de die quinto. Item alius de die sexto. Item alius de die septimo. De ebrietate Noe et nudatione femorum ejus. De virga conversa in serpentem. De avaritia. De charitate inquieta. De operibus misericordiae.* » *Ind.* c 8 : et tamen Possidius vix ducentos sermones enumerat. — (7) Cassiodorus refert homilias de *sapientia*, unum sermonem *de Judicio Salomonis. Inst. scrip.* c V et II. Caesarius Arelatensis sermonem *de aegro triginta octo annos nato. Hom.* 9. — (8) *Arnobii Junioris cum Serapione conflictus.*

longius sit memorare; attamen Patres Benedictinos silentio praetermittere nefas esset, quorum opera in lucem prodiit inter omnes longe praestantissima (1) editio: Hujus in tertio volumine *Tractatus* in Joannem, in quarto *enarrationes* in Psalmos inveniuntur quales in superioribus editionibus; *sermones* vero, quos tomus quintus complectitur, summa cum diligentia selecti purgatique sunt, dubii aut certo falsi ad calcem voluminis sunt repositi.

Quod discrimen ut facerent, respectum editores habuerunt ad dicendi genus Augustini, ad Scripturarum versionem qua utitur, ad tempora, loca, personas, res de quibus in sermonibus disputatur, et ad Possidii *Indiculum*. Horum subsidio CCCLXIII genuinos sermones agnoverunt, XXXIII dubios cum fragmentis, CCCXXXVII spurios notaverunt. De veris tantum, nobis agenda res erit. Hos vero inter quatuor classes Benedictini digesserunt, quarum prima *Sermones de Scripturis* veteris et novi Testamenti juxta ordinem sacrorum librorum collocatos, secunda *Sermones de tempore* seu de festis liturgiae christianae, tertia *Sermones de sanctis* qui in Africa colebantur, quarta *Sermones de diversis* seu de rebus aut de temporibus ad quae ceteri referri nequeunt.

Ille ordo pio quidem christiano arridere potest, sed rerum scriptori parum placet, qui nihil antiquius habet quam ut cognoscat quo tempore sermones sint pronunciati. Hoc enim pacto multo expressiorem Augustini aetatis imaginem sibi effingere posset atque in dies quantum in auditorum animos sermones valerent perspicere. Cum vero omnium sermonum tempora inveniri nequirent, ex nonnullis tamen indicia colligere licuit, quibus anni significarentur ad quos hi sermones referri possunt. Haec in ista tabula exhibemus, qua perspecta, nitidior patebit aspectus ad res quae postea dicentur.

SERMONES numeris PP. Benedictinorum designati	TEMPUS quo pronuntiati sunt	INDICIA quibus tempora dignoscuntur
Sermo 214 (2)	An. 391, paucis diebus ante Pascha.	His enim verbis Augustinus alloquitur Cathechumenos festo Paschae baptizandos. « Pro modulo aetatis rudimentorumque nostrorum pro tirocinio suscepti muneris non ministerio sermonis vos fraudare debemus. »

(1) Nondum in lucem Augustini sermones Vindobonensis Academiae cura venerunt (2) Si ab Augustino pronuntiatus est : nam cum ibi animadvertitur de servis Dei saepissime dici « Tot annos ille in illo vel illo monasterio sedit » menti opinio subit hunc sermonem postea

SERMONES	TEMPUS	INDICIA
S. 216	391 iisdem diebus	Nam sic incipit Augustinus. « Rudimenta ministerii nostri et vestri conceptus fidei adjuvanda sunt ore »
S. 20	non multo post 391	Innuit enim Augustinus parum solere presbyteros praedicare : « Exhortamur, ait enim, ut verba Dei, ministrantibus presbyteris vos non pigeat. » n. 5.
S 273	ante annum 394	Ibi enim significat Augustinus tum etiam usum ad martyrum Memorias potandi vigere quem ipse, die quarto id. Mai. 394 sustulit.
S. 252	paulo post an. 394	Intelligitur his verbis : « In ista civitate .. de ista basilica ebrietates expulit Deus. » n. 4.
S. 100	ante finem anni 395	Quo tempore Augustinus episcopus creatus est : nam in eo sermone opinionem de gratia tenet quam « cum adhuc, (1) ait, presbyter esset » secutus est.
S. 351	Ante finem anni 395	Ab Augustino enim presbytero dictus merito creditur : hoc est tum cum « tempus iis, quae ad populum dicturus erat, parandis insumere consuescebat » (2) siquidem maxima cum cura paratus videtur.
S. 101	Paulo post annum 395	Ut ex his verbis significatur. « Et nos qui videmur modo de superiore loco cum conservis metiri cibaria, ante paucos annos in inferiore loco cum conservis accipiebamus cibaria. » n. 40.

pronuntiatum fuisse ; tres enim vix annos monasterium Hipponense unum tunc Africa noverat. Potuit ergo Augustinus pro alio sermonem parare et scribere ut ex verbis his innuitur. « Quod symbolum nostis quia scribi non solet : quo dicto, adjungenda est haec disputatio » n. 1. — (1) V. *Retr.* I. c. 23. (2) Epist. 73 n. 5.

SERMONES		TEMPUS	INDICIA
S.	62	Ante annum 399.	Cum ibi Augustinus dicat palam superesse deorum simulacra quae frangere episcopos non licebat. Vide inferiorem.
S.	24	Ante annum 399.	Nam cum Augustinus de quodam Herculis simulacro loqueretur, ab christianis acclamatum est, ut Carthagine sicut Romae simulacra frangerentur, quod anno 399 a Gaudentio et Jovio factum fuisse ab Augustino accepimus. (1)
S.	163	Paulo post umann 399	Habitus est enim in dedicatione ecclesiae, quod prius templum deorum ex Honorii edictis anno 398 datis in ecclesiam conversum videtur.
S.	80	Ante annum 410	Multa enim mala in mundo esse declarat Augustinus, n. 13, Roma tamen nondum a Gothis capta videtur.
S.	81	Anno 410	Paulo post Romam a Gothis captam cum in Africam allatum falso esset Urbem penitus eversam n. 8, 9.
S.	105	Anno 410	Post Urbis cladem vere cognitam, ut aperte declarat Augustinus n. 13.
S.	296	Anno 410 aut paulo post	Cum aperte significet Augustinus Romam a Gothis modo expugnatam esse.
S.	47	Ante annum 411	Hoc est ante illam Collationem quam Carthagine cum Donatistis episcopi Catholici habuerunt. Cum enim, ibi Donatistis vitio vertat « ebriositates, fenus, usuras et Circumcellionum furias, » pervicaciam omittit qua post Collationem usi sunt.
S.	357	411 Circa medium mensem Maium	Carthaginenam totius sermonis tenore brevi ventura Collatio nuntiatur.

(1) *De Civit. Dei* XIII, 53.

SERMONES		TEMPUS	INDICIA
S.	358	anno 411 intra junii primos dies.	Nam dictus est instante collatione aut per collationem quae Kal., die VI non. die VIII id. Jun. habita est.
S.	359	411 paulo post collationem	Ut ex sermonis tenore significatur.
S.	138	411 post collationem.	Carthagine, ut ex his verbis apparet : « Iste Cyprianus » et n. 2 « Quomodo habet caritatem qui etiam convictus non amat unitatem ? »
S.	99	411 post collationem.	Declarant haec verba « Nuper in collatione nostra (quod etiam in Gestis ipsis legere potestis) cum eis a cognitore esset concessus oblatus... » c. 8.
S.	360	411 post collationem.	Nam habetur de quodam Donatista ad Ecclesiam revertente.
S	202	post annum 411	Profitetur enim Augustinus n. 20 Epiphaniae festum nunquam cum catholicis Donatistas celebrare velle quia nec unitatem amant.
S.	115	Circiter annum 412.	Hoc est tempore quo Pelagiana haeresis in Africa agnosci coepta est ut ex his verbis : « Audiant isti nescio qui de suis viribus praesumentes. » n. 3.
S.	293	413 die octavo Kal. Jul.	Carthagine. Hujus enim mentio fit in exordio sermonis subsequentis pronuntiati ut videbitur quint. Kal. Jul.
S.	294	413 die quint. Kal. Julias, Carthagine.	Habitus in Basilica Majorum in Natalis Martyris Guddentis (1) sicut prae se ferunt manuscripti codices. Sed ex Augustini libro de *Gestis Pelagii ad Aurelium* compertum habemus, eum de baptismo parvulo-

(1) Seu potius Gaudentii, ut eo die fert Kalendarium Carthaginiensis Ecclesiae.

SERMONES		TEMPUS	INDICIA
			rum Carthagine contionatum et inter sermonem de hac re Cypriani quaedam verba recitavisse, postquam ad Marcellinum libros contra Pelagianam haeresim scripsisset. Sed in hoc sermone invenitur locus ex Cypriano recitatus. Cum vero anno 412 mense Junio Cirtensi concilio Augustinus adesset, non hos Carthagine sermones in Natali sive post Natalem sancti Joannis habere potuit, vivente Marcellino, citius anno 413, quo anno revera longiorem moram Carthagine fecit usque ad Marcellini caedem qui id. septemb. occisus est.
S.	293	Circiter annum 413.	Nam in hoc sicut in superiore de parvulorum baptismo contra Pelagianos disputatur.
S.	175	Circiter annum 413.	Propter eadem.
S.	165	Circiter annum 413.	Versatur enim in eadem materia, in qua superior sermo et Pelagiani sunt recentes cum de his sic Augustinus : « modo isti novelli, ait, non audent dicere » n. 6.
S.	8	Ante annum 415.	Habitus est enim ante enarrationem in Psal. 77, quae facta fuit adveniente Pascha anni 415, ut Augustinus in epistola (1) hoc anno ad Evodium missa declarat.
S.	9	Ante annum 415.	*De decem chordis* inscribitur : Sed ad eum sermonem Augustinus mittit in explanationem Psalmi 22, quae ut videbitur circiter annum 415 data est : « Confitemini, ait enim, Domino in cithara, in

(1) Epist 169.

SERMONES	TEMPUS	INDICIA
		psalterio decem chordarum psallite ei. Hoc enim etiam modo cantabamus hoc ore consono exprimenti corda vestra docebamus. » n. 4.
S. 168 S. 169 S. 170 S. 176 S. 290 S. 293 S. 27 S. 30	Ante annum 416	Ibi enim Pelagiani redarguuntur sed non nominantur. Hos vero scimus ab Augustino haereticos non esse appellatos ante concilia Carthaginiense et Milevitanum, quae annum 416 sunt habita. Ea de re sunt Augustini haec verba : « Contra quae omnia sentientes illi novam haeresim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum sic eos facilius posse corrigi. » (1)
S. 13 S. 14 S. 15 S. 16 S. 17 S. 18 S. 21 S. 23 S. 25 S. 28 S. 29 S. 31 S. 32 S. 33 S. 34	Circiter annum 416	Siquidem hi in interpretandis Psalmis versantur. Sed in epistola ad Evodium supra laudata legimus sub fine anni 415 Augustino in animo esse ut ceteros Psalmos, quos nondum explicaverat sine mora explanaret. Ipse etiam scribit omnes Psalmos se « partim sermocinando in populis partim dictando » diu ante Psalmum CXVIII exposuisse, qui ut videbitur, circiter annum 418 explanatus est : « Psalmos omnes, ait, ceteros... exposui... sicut potui, psalmum vero decimum octavum differebam. Et cum molestissime ferrent fratres mei... diu petentibus jubentibusque non cessi. » (2)
S. 131	417 die IX Kal. octobr.	Ex codicibus enim habitus est die dominico sed anno 417 dies dominicus occurre-

(1) *Retr.* II, 33. (2) In prooem. ad Ps. 118.

SERMONES		TEMPUS	INDICIA
			bat die IX Kal. octobres et ad hunc annum pertinent Apostolicae sedis rescripta de quibus sub fine sermonis mentio fit (3).
S.	151	417 Mense septembri aut octobri	Versatur enim in verbis Apostoli « *Non enim quod volo facio* » sed in sermone subsequenti de his verbis se paulo ante disputavisse Augustinus meminit. n. 1
S.	152	417 Mense septembri aut octobri	Habitus est enim paulo ante sermonem 155, nam ibi de hoc sermone mentio fit. n. 8
S.	153	417 Mense septembri aut octobri	Pridie ante S. 154 ut infra significatur
S.	154	417 Mense octobri	Superioris enim sic Augustinus meminit : « Hesternam lectionem de sancti apostoli Pauli epistola, qui adfuistis, audistis : illam lectio sequitur, quae hodie recitata est » n. 1
S.	155	417 Prid. id. novemb.	Habitus est postridie superioris sermonis his verbis memorati : « Hesterna lectio sancti Apostoli eo usque terminata est ubi dictum est : *Igitur ipse ego mente servio legi.* »
S.	156.	417 die XVI kal. octobr. Carthagine, in basilica Gratiani	Nam habitus est tertio die post superiorem sermonem, qui his verbis designatur « Jam nudiustertius, qui adfuistis, audistis quomodo longe positam plebem voces, ignis, fumus in monte terrebat. » Quae in superiore sermone, c. 6, inveniuntur.
S.	26	417 die XV kal. oct. Carthagine in basilica Theodosiana	Nam in eo sic indicatur, c. 8, sermo superior « Quod etiam hesterno die commemoravimus : *sed conclusit Scriptura omnia sub pec-*

(1) « Jam enim duo concilia missa sunt ad sedem Apostolicam. » His rescripsit Innocentius Papa ineunte anno 417.

SERMONES		TEMPUS	INDICIA
			cato » ; qui locus in sermone 156 tractatur. Ad annum vero 417 hi sermones referendi videntur, quia valde verbis et doctrina cum libro *de Gratia Christi* ea aetate scripto consonant; et contra Pelagianos diriguntur quorum tamen nomina tacentur.
S.	182	paulo post 417.	Hujus enim mentio fit in sermone subsequenti paucos post dies habito.
S.	183	paulo post 417.	Nam hic nominatim Pelagianistae interpellantur « Quid dicis, Pelagianista. » 12.
S.	181	paulo post 417.	cum ibi legatur : « Haeretici sunt Pelagiani iidemque caelestiniani, qui hoc dicunt. » n 2.
S.	299	circiter annum 418.	In eo enim eadem tractata loca de Enochi et Eliae sorte inveniuntur quæ in Epistola ad Mar. Mercatorem anno 418 scripta. Sed haec non prius tractaverat, Augustinus quam monitus fuisset sortem Enochi et Eliae a Pelagianis in suae doctrinae favorem objici.
S.	19	post annum 419.	In hoc enim mentio fit terrae motuum et cladium quae anno 419 acciderunt. (1)
S.	140	circiter annum 420.	Ut ex his verbis significatur : « Sic nos, qui senuimus in ista militia, ...minores quidem hostes habemus » et propterea quod Augustinus in sermone paulo post habito describitur tanquam « candido crine venerabilis. » (2)
S.	114	post annum 423.	Habitus est enim ad Mensam Cypriani praesente comite

(1) De his habet Marcellinus comes in *Chronico*, Monaxio, Plinta coss. anno Christi CCCCXIX : « Multae Palestinae civitates villaeque terrae motu collapsae » Fere eadem apud Idatium inveniuntur. (2) In serm. 22.

SERMONES	TEMPUS	INDICIA
		Bonifacio, qui ante hunc annum comes fuisse non videtur. (1)
S. 317	circiter annum 425	Pronuntiati enim sunt duo hi sermones cum jam sancti Stephani reliquiae Hipponem-Regium allatae fuissent ut ex his Augustini verbis : « Martyr Stephanus mortuus istas terras visitavit. Serm. 317 n. 1 — et S. 318, n. 1 : « In isto loco reliquiae sunt primi et beatissimi martyris Stephani ». Sed eae reliquiae jam duos annos abhinc Hipponem venerant cum scriptus est ultimus *de Civitate Dei* liber, qui anno 426 fuit in diem editus.
S. 318	circiter annum 425	
S. 319	circiter annum 425	Nam de cella loquitur Augustinus, n. 7, in qua Stephani reliquiae jam sunt conditae et de miraculis antea patratis.
S. 79	circiter annum 425	Significat enim multa per Martyris invocationem miracula evenisse. « Sunt enim beneficia Dei per Martyrem sanctum, quae recitabuntur. »
S. 94	circiter annum 425	« Habemus, ait enim ibi Augustinus, et libellum de beneficiis Dei per sanctum Martyrem datis ; libenter audiamus. »
S. 286	circiter annum 425	Nam hic quoque agitur « de libellis miraculorum martyrum coram populo recitandis. »
S. 320	425 XIII kal. mai	In his enim sermonibus legitur libellu sanati Pauli ad reliquias sancti Stephani die Paschae festo, qui anno 425 XIII kal. mai. oc-
S. 321	425 XII —	
S. 322	425 XI —	
S. 323	425 X --	
S. 324	425 IX —	

(1) Ea de re v. Pallu de Lessert. *Vicaires et Comtes d'Afrique*, p. 145.
(2) Ut constat ex lib. *de Civ. Dei* XXII, c. 8.

SERMONES	TEMPUS	INDICIA
		currit. Annus 425 Augustini verbis significatur, qui, postquam Pauli miraculum in libro de *Civitate Dei* XXII n. 8 sub fine anni 426 edito narravit, haec addit : « Nondum est autem biennium ex quo apud Hipponem-Regium coepit esse ista Memoria. »
S. 355	post annum 425	Pronuntiatus enim est paucis diebus ante subsequentem sermonem.
S. 356	post annum 425	Loquitur enim ibi Augustinus de Sancti Stephani exstructa Memoria « De opere ejus (Eraclii) et expensa pecunia Memoriam sancti Martyris habemus. »
S. 140	circiter annum 428	Nam habitus dicitur « contra quoddam dictum Maximini Arianorum episcopi, qui cum Segisvulto comite constitutus in Africa blasphemabat » sed Segisvultus in Africam anno Christi 427 venit.
S. 345	post annum 428.	Habitus enim videtur postquam Darius cum Vandalis in Africam ingressis inducias pactus erat ; siquidem significat Augustinus multos pecunia se ex hostium manibus liberavisse : « Quam multi, ait, cum suis hostibus pacti sunt ut vitam solam redimerent » n. 2.

Tractatus autem in Joannis Evangelium Epistolamque anno 416 habitos fuisse satis luculenter, ut opinamur, a PP. Benedictinis demonstratum est, quorum argumentationes hic referre supervacaneum ducimus.

Enarrationes vero in Psalmos non uno anno pronuntiatae, aut, ut dicit Augustinus, dictatae : psalmus trigesimus sextus Carthagine anno 403 explanatus videtur, nam plane cum *tertio libro contra Petilianum* consonat qui hoc anno scriptus est : psalmum vero decimum sextum a se jampridem explicatum Augustinus in epistola significat, quam ad Paulinum anno circiter 414

scripsit. In epistola autem centesima sexagesima nona ejus ista verba legimus : « Dictavi trium psalmorum expositiones sexagesimi primi, septuagesimi primi, septuagesimi septimi. Reliqui nondum dictati neque tractati vehementer a nobis exspectantur atque flagitantur ; ab his me revocari et retardari, irruentibus de transverso quibuslibet quaestionibus, nolo. » (1)

Ex hujus epistolae (2) verbis colligi potest anno 416 expla natos fuisse Psalmos quos nondum Augustinus erat interpretatus Quidquid id est, omnes (3) certo explanati erant cum centesimum decimum octavum Augustinus explicandum suscepit, sed explicatus anno 417 aut 418 is fuisse videtur cum ibi Pelagiani tacito nomine exagitentur.

Iis dictis per quae Augustini loquentis fortuna mores et tempora illustrantur iter nostrum tutius commodiusque ingredi licebit.

(1) Epist. 169. n. 1. — (2) Scripta fuisse anno 415 exeunte videtur. — (3) Rem palam ipse Augustinus confitetur : « Psalmos omnes ceteros, ait ...exposui, psalmum vero centesimum octavum decimum differebam... In Prooem. Ps. 118.

CAPUT SECUNDUM. - Ad vitam Afrorum publicam cognoscendam quid Augustini sermones conferant?

Articulus I. — De Ecclesia.

Afrorum christianorum sicut ceterorum romani imperii populorum vita publica in tribus, ut ita dicam theatris majoribus quarto saeculo agebatur, de quibus ab Augustino, quia in his aut partes egit aut saltem versatus est, multa audire licet.

Africanam Ecclesiam primum prospicere operae pretium est. Si Romanam forte excipis, nulla alia catholicae Ecclesiae pars tanto splendore enituit tantamque lucem in Occidentis partes effudit. Huic enim nulla defuit sacra laus : martyribus fidem confessa est, multis conciliis ad christianam disciplinam condendam stabiliendamve multum contulit, praestantissimos dein scriptores Tertullianum, Minutium Felicem, Cyprianum, Lactantium non solum peperit, qui sermonem latinum ad defendendam tradendamve Christi doctrinam primum adhibuerunt sed et imperii parti occidentali illum librum aperuit quo nova religio nitebatur. Hinc (1) enim processerunt primae et plurimae Scripturae sacrae de Graeco in latinum conversiones.

Qua aetate, quave via Christiana religio in Africam allata sit, non constat. Ab aliquo Apostolo aut Apostolorum discipulo Augustinus putabat fidem susceptam esse. (2) At non pro certo habebat. Cum enim a Petiliano objiceretur Evangelium sero et postmodum in Africam allatum esse, satis habuit Augustinus approbare non ultimam Africam ad fidem venisse. (3) Silentibus tamen monumentis, ex copia et celebritate commeatuum, (4) ex eisdem ritibus et ex eorumdem sanctorum cultu (5) haud temere conjici potest Roma Carthaginem mature christianam religionem transnavisse, dein a Carthagine in Numidiam Mauretaniamque (6)

(1) V. Ziegler : *Die lateinische Bibelübertsetzung vor Hieronymus* 1879. Cf. *Codex Lugdunensis Veteris Testamenti* qui ab. U. Robert editus est. p. CXXV et seq. CXL et s. et Aug. « Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis utriusque linguae habere videbatur ausus est interpretari : » De *doc christ.* II, c. XI. — (2) *Tract. in Joan*, 376. In Ps. 101. — (3) De *Unit. Ecc* C. XV. — (4) Vd. L. Duchesne : *Les Origines chrétiennes*, p. 403. — (5) In Ps. 44. — (6) Origenes. *In Luc Homil.* VI

diffusam paulatimque per omnia Africae loca grassatam esse ; nam Scili, in ignobili pago extremis in Africae finibus sito, primi martyres nondum elapso secundo saeculo occisi sunt. Quam cito creverit Christianorum numerus ex Tertulliani scriptis (1) intelligi potest sed praesertim ex numero episcoporum qui eadem ferme aetate concilium Carthagine, praesidente Agrippino, habuerunt. Si fides Augustino praestanda est, non pauciores quam septuaginta aduerunt. (2) Quinquaginta post annos, saevientibus Decii contra Christianos legibus, tot Christianos scimus fuisse in Africa ut eis plures quam octoginta episcopi praeessent, sicut videri potest in Cypriani epistolis. (3) Praeterito persecutionum tempore, data Ecclesiae pace nihil jam obstitit quin Christianorum numerus augeretur.

Cultores tamen deorum Augustini aetate supererant. Quam multi essent, utrum Christianis plures paucioresne in Africa invenirentur, nos plane scire Augustinus non sinit. Ex ejus verbis conjici tantum licet aliis in locis alium esse Christianorum Paganorumve numerum. Nonnullae enim civitates sunt in quibus « tam pauci non Christiani remanserunt, ut in eos magis objiciatur quia Christiani non sunt, quam ipsi audeant aliquibus objicere quia Christiani sunt. » (4) Nemo ibi, ait Augustinus insultat Christiano quod Christianus, quia non ibi invenitur Paganus. » (5) Carthagine vero, « non tanto, inquit, concursu hominum olim, cum necarentur martyres, ad eos occidendos cavea crudelitatis impleta erat quanto nunc ad eos honorandos ecclesia pietatis impletur. » (6) Itaque Christianis dicere non dubitabat : « Deserite solemnitates eorum et si non consentiunt veritati nostrae erubescant paucitati suae. » (7) Hippone quoque multo majore numero Christiani praestabant, ut aperte Augustinus declarat : « Multae, inquit, inveniuntur domus in quibus non sit vel unus Paganus ; nulla invenitur domus ubi non sint Christiani. Et si discutiatur diligenter, nulla domus invenitur ubi non plures Christiani sint quam Pagani ? »

E contra quaedam civitates inveniebantur in quibus deorum cultores plures quam Christiani exstabant. Documento sunt Madaurae, quarum « forum, auctore Maximo, salutarium numinum frequentia possidebatur », (8) Suffectana (9) et Calama, (10) in quibus urbibus Christiani valde vexabantur a populi parte majore.

In ruribus vero, quamvis jam per agros fundosque religio christiana sparsa sit, plurimi deorum cultores inveniebantur, inde his inditum nomen, quod cum plane diversa significatione a

(1) *Apolog.* c. 37 praesertim, quamvis multa majora vero dicat — (2) *De Unit. bapt. cont. Petil.* c. XIII, n. 22. — (3) Cypr. *Epist.* 135 Edit. Hartel. — (4) In Ps. 80 n. 5. — (5) In Ps. 90 n. 4. — (6) S. 280 n. 2. — (7) S. 62 n. 11. — (8) S. 203 n. 19. — (9) Ep. 16. — (10) Ep. 50. — (11) Ep. 51.

Tertulliano (1) olim usurpabatur « Deorum falsorum cultores, aiebant Augustinus (2) et Orosius, (3) ex locorum agrestium compitis et pagis, usitato nomine *Paganos* vocamus. » Prope civitates et in fundis, quorum christiani domini erant multi sane coloni christiani (4) et rusticanae (5) ecclesiae inveniebantur : sed circa aut extra fines romanae Africae vix aliquis christianus erat : « Sunt enim apud nos, aiebat Augustinus, hoc est in Africa, barbarae innumerabiles gentes, in quibus nondum esse praedicatum Evangelium ex iis qui ducuntur inde captivi et Romanorum servitiis jam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est. Pauci tamen anni sunt, ex quo quidam eorum rarissimi atque paucissimi, qui pacati Romanis finibus adhaerent, ita ut non habeant reges suos sed super eos praefecti a Romano constituantur imperio, et illi et ipsi eorum praefecti christiani esse coeperunt. » (6)

Attamen res in universum intuenti Afrorum major et nobilior pars christianae religioni addicta esse videtur : « Siquidem, ait Augustinus, si multitudini credendum est, quid copiosius Ecclesia? Si nobilibus, intus est jam pene tota nobilitas » (7) Eadem fere, referebat Prudentius poeta

Vix pauca invenies gentilibus obsita nugis
Ingenia, obtritos aegre retinentia cultus
Et quibus exactas placeat servare tenebras
Splendentemque die medio non cernere diem (8)

Nobiles tamen, in Africae civitatibus, sicut in reliquis novissimi ab antiqua religione abscessisse (9) videntur, et prope Augustinum etiam sub initio anni 412 paganus est ille « eximius Hipponensis regionis possessor et dominus » qui Paganorum objecta parum ab Augustino dilui sentit. (10)

At non spernendas antiquae religionis reliquias superesse colligi potest ex studio quo eam Augustinus lacessivit. Nemo tot tantisque scriptis, tanto, ut ita dicam, impetu in eam invectus est. Duo genera hominum christianam religionem defendendam ad id tempus susceperant ; unum eorum qui accusatorum partes contra paganitatem vindicabant ; in id praesertim incumbebant ut in ea quae ab ratione absona, aut inter se male haerentia, quae prava aut contra bonos mores repugnantia essent, ostenderent (ex eorum numero Tertullianum, Tatianum et Commodianum memorare satis sit) ; alterum vero eorum, qui telis

(1) « Apud hunc [Jesum] tam miles est paganus fidelis quam paganus est miles infidelis » Tertul. *De coron Mil.* Ea de re hanc inscriptionem memorare expedit « *Juliae Domnae Aug. Matri, Castrorum matri... D. Sileius. Victor et C. Tard... Statuam cum base... adjectis tertis e decreto Paganor. pagi Mercuralis Veteranorum S. P F.* C. I. L. VIII, 885. — (2) *Retract*, II, 43. (3) *Praef Histor.* (4) Ep. 58, Ep, 76. — (5) Ep. 63, Ep. 56, Ep. 65, Ep. 236. — (6) Ep. 199 c. 12. — (7) S. 51, n. 4. — (8) *Contr. Symm.* — (9) « Ille nobilis si christianus esset, nemo, remaneret paganus. » In Ps. 54 n. 13. — (10) Ep. 136 n. 3.

accusantium propulsandis intenti neque ignorantes neque contemnentes si quid sani et recti in philosophis inesset, christianam religionem non diversis laudibus commendari posse demonstrabant; inter hos praestantissimi Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes fuerunt. Horum omnium pugnandi contra paganos rationem duplicem adhibendam Augustinus censuit omnibusque instructus armis ad supremum certamen ivit. Eruditione igitur multa ornatus, quamvis nihil novi afferat nec diligentior sit in rebus scrutandis, modo paganorum mores institutaque vituperat aut ludibrio vertit, modo philosophorum sapientiam laudat aut auxilio vocat, modo bellum ultro infert, modo illatum pro virili parte propulsat. Hinc sane colligere non auderem paganae religionis historiam, vices fortunamque Augustino plane nota fuisse. Hanc quidem ortam ex fabulis passim fictis eum fugiebat, quibus naturae vires rerumque casus et exitus indocta ingenia sibi depingebant; has fabulas ignorabat a philosophis in certum ordinem, quantum fieri poterat, fuisse coactas, et cum primum nihil ad mores informandos haberent, nunc peccare, ut aiebat Horatius, docere, propterea quod in serium converterentur. At num Augustinus de antiqua religione agnoscere poterat quae Macrobium aequalem, veterum rerum eruditissmum virum, praeteribant? Erraverit cum Jovem, Mercurium, Apollinem olim fuisse homines cum Evhemero (1) sensit, licet, num ideo falsum crimem Paganis objicit cum eos accusat quod homines deorum loco habent? meminisse enim, quin etiam cernere tum sua aetate poterat divos aut viventes imperatores divinis honoribus coli. (2) Quid originum scientia, quarum vetustate memoria abierat, Augustini intererat, quippe cui cum cultu virescente et vivaci esset congrediendum? Hunc, hercule, noverat: admodum juvenis ejus festis adfuerat, et locupletissimi testis more ante delubra confluentem undique turbam, meretricum pompam, impuros scenicorum motus, et impudicos gestus, cuncta obscenitatis officia (3) nobis describit.

Neque eum praeteribat quantum vetus deorum cultus esset mutatus, allatis ex Orientis regionibus novis religionibus. Ipse

(1) S. 273 n. 73. (2) Ea de re legimus in *Ephem. epig.* V, 304.

D. M.

Flavio Honorio
Invicto Imp.
Semper Aug.
Municipium
Avitta Bibba
Devotum numini
Majestatique ejus.

Scimus nuper in Africa Flaviae gentis sacerdotium institutum. (Aurel. Victor *De Caesar.* X I, 28.) -- (3) *De civit Dei.* II, 26.

ad has auditores intentos facit Isisque, Serapeos et Anubeos simulacra ritusque depingit : « Aegyptus, ait, perfudit mundum figmentis. « Numquid enim, fratres, in aliis templis vidistis simulacrum capite canino vel taurino ceterorumque animalium irrationabilium figmenta? Haec enim idola Aegyptiorum sunt. » (1) Vidit quoque quo studio istarum religionum sacerdotes eas christianae similes efficere conarentur : « Fingunt, aiebat, spiritus mali umbras quasdam honoris sibimetipsis, ut sic decipiant eos qui sequuntur Christum. Usque adeo fratres mei, ut illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per machinamenta inimici misceant praecantationibus suis nomen Christi ; quia jam non possunt seducere christianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id quod dulce est, lateat quod amarum est, et bibatur ad perniciem. Usque adeo ut ego noverim aliquo tempore illius Pileati sacerdotem solere dicere: Et ipse Pileatus christianus est. » (2)

In religione autem pagana Christianos et Augustinum maxime offendebat, quorum fides institutis dogmatibusque, ut aiebant, certis, nitebatur, quod nullo communi principio constabat ; sed fundamenti loco aniles fabulae, passim variae, de quibus ad suum quisque arbitrium sentiret. Deos autem non modo, eos qui quondam homines fuerant, colebant sed adeo multos ut numero complecti eruditissimus quisque nequiret; inter quos etiam multi humanae condicioni obnoxii erant aut ád abjectissimas provincias demandati. « Quidam coelibes, quidam juncti matrimonio, alii vidui, alii selecti, alii inferiores, quidam etiam epulones et parasiti, alii certi, alii incerti, deus Stercutius, dea Cloacina, Venus Calva, deus Timor, deus Pallor et cetera innumerabilia hujuscemodi. » (3)

Ad haec respondebant Pagani saltem qui docti erant « unum esse Deum, summum, sine initio, sine prole naturae, ceu patrem magnum atque magnificum, sed hujus virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocari, quoniam nomen ejus cuncti ignorent : illas vero non alio honore coli ac angelos aut martyres quos Christiani tanta cum veneratione prosequerentur ; et quis ferre posset Jovi fulmina vibranti praeferri Mygdonem, Junoni, Minervae, Veneri Vestaeque Sanaem et cunctis, proh nefas, diis immortalibus archimartyrem Namphamonem? » (4)

Qua comparatione indignatus, quae inter Paganos vulgabatur, (5) Augustinus maxima cum diligentia coram populo inter Martyres et Deos interesse docebat non modo ritus quibus colebantur, sed et recti animi fortitudinem exemplaque quibus ad bene vivendum incitabantur christiani. Deorum autem nullus erat, aiebat, qui propter sua opprobria non infamaretur. (6) Non

(1) S. 273, n. 3. — (2) *Tract. in Joan,* VII, 6. — (3) *De Civi. Dei,* l. VI, c. XI et seq. — (4) Ad Aug. *Max. Epist.* 17. — (5) Cf. *Juliani imperatoris librorum contra Christianos quae supersunt.* Ed. C. J, Neumann. S. 273 n. 7, Epist. 102, n. 20. — (6) *De civ. Dei* VII, c. 27. II, 19, IV, 1.

modo nulla contra vitia praecepta dederant quibus boni mores instituerentur aut mali corrigerentur, sed neque dare poterant quippe qui flagitia seminanda et augenda curarent. Praebebant enim auctoritatem ad perpetranda crimina, dum ludos scenicos exigunt, dum per turpissima obscenaque acta coluntur, ita ut deorum imitatione homines pejores fiant. In exemplum afferebat ea quae ipse viderat cum Caelestis (1) deae festa agerentur multaque ejusmodi quae a Paganis negari non poterant.

Contra quae respondebant Pagani haec bona mente esse interpretanda, atque ea quae immanissima videbantur, innocua sic haberi posse : « Saturnum, aiebat, Augustinus, suos filios devorasse nonnulli interpretati erant, quod longinquitas temporis, quae Saturni nomine significatur, quidquid gignit, ipsa consumat, item alii alio modo et similiter cetera. » (2) At facile ab Augustino approbabatur illa quam fabulosam theologiam vocabat et « cum omnibus suis interpretationibus reprehendi, abjici et improbari nec solum a naturali, quae philosophorum est, verum etiam ab ista civili, quae ad urbes populosque pertinere asserebatur, eo quod de diis indigna confinxerit, merito repudianda discerni. » (3)

Objiciebant vero Pagani multos olim sapientes in sua religione fuisse, recteque se hodie vivere, propterea nolle fieri christianos « quia sufficiebant sibi de bona vita sua. Bene vivere opus esse, at quid illis praecepturus esset Christus? » (4) Quin etiam se ipsos jactabant dissensionibus et malis moribus (5) Christianorum offendi remque christianae religioni vitio vertebant, quod veniam poenitentibus pollicendo licentiam peccandi daret. (6) Interdum etiam ultro ipsi bellum inferebant et Augustino contra ictus cavendum erat. Rudis enim et imperita plebs sive Christianorum sive Paganorum prona erat ad religionem ex commodis aestimandam, quae afferebat. At clamitabant Pagani non modo nihil boni attulisse Christum sed « ex quo venisset Christus, pejora esse in rebus humanis quam antea, et feliciores tunc esse res humanas quam modo. » (7) Haec jampridem, quae contra Christianos objici solebant saepe confutata erant a Tatiano, ab origene (8) a Tertulliano, « Si Tiberis, jam aiebat iste, (9) ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva,... statim *christianos ad leones* acclamatur. » Augustini etiam temporibus erat proverbium vulgare : « Pluvia defit causa Christiani » (10) Sed cum in dies magis adversae res circumfluerent, omniaque Barbarorum incursationibus miscerentur perturbarenturque, cum Roma ipsa demum Alarici exercitibus expugnata fuisset, crebriores coortae sunt per imperium Paganorum clamores : « Roma perit,

(1) Id, II, 26. — (2) *De civit. Dei* VI c. 8. — (3) Ibid. — (4) In Ps. 31. En. 2a. — (5) In Ps. 68, m. 12. In Ps 34. S. II, 8 In Ps. 40, 1. In Ps. 136, n. 9. — (6) S. 352, n 9. — (7) In Ps. 136 n 9. — (8) Tat. *Contr Graec*, c. IV. Orig. *Cont. Cels* III 15. — (9) *Apolog*, 40. Vd. quoque Cyprianum. *Ep. ad. Demetrianum.* — (9) *De Civit Dei*, c. 3. — (10) S. 296, 6. S. 81, 9.

aiebant, inter sacrificia christiana, temporibus christianis Roma afflicta est et incensa est » His clamoribus christianae plebis animi commovebantur demirabanturque hanc Urbem « in qua jacebant Petri, (1) Pauli et Laurentii corpora vastari, affligi, conteri, incendi. »

Contra doctos, qui ista dictitabant, libros *De Civitate Dei* Augustinus scripsit ; coram populo autem non semel verba fecit docendi causa quo responso Pagani refellendi essent : Aliis temporibus tot tantasque aliquando etiam majores clades accidisse, (2) Romam non periisse sed afflictam tantum fuisse, neque tum primum incendio arsisse ; hoc enim incendium tertium esse jamque antea Romam a Gallis captam, a Nerone incensam inter sacrificia Paganorum (3); etiam post eversa simulacra Rhadagaysium, Gothorum regem, cum ingenti exercitu paganum, qui quotidie sacrificabat, adjuvante Domino, miro modo victum esse eumque, qui nuper vicerat, Alaricum, etsi non catholicum attamen christianum esse. (4) Scirent quoque haec a Christo praedicta fuisse Christianosque « vocatos non ad terrenam felicitatem sed ad caelestem, non ad temporales successus et prosperitatem volaticam et transitoriam, sed ad aeternam cum Angelis vitam. » (5) Alia multa, quae longius sit persequi utriusque in hoc acri certamine sive verbis sive per scripta (6) opponi solebant. At non jam anceps pugna videbatur, Paganorum numerus quotannis minor fiebat. « Illud scio, aiebat Augustinus, quod isti irrisores nostri pauciores sunt hoc anno quam fuerunt priore anno. » (7)

Quaedam etiam eveniebant quibus pejor Paganorum fortuna fiebat. Inter eos enim vulgata opinio erat « aliquando Christianos ad parvum tempus futuros, idolaque reversura cunctaque quae erant antea ; Petrum maleficiis fecisse ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos, deinde, completo memorato numero annorum, christianam religionem sine mora, sumpturam finem ». (8) Sed ea tempestate qua futurum erat ut christiana religio aboleretur, deorum templa Carthagine eversa sunt et simulacra fracta: « Ex quo usque ad hoc tempus quis non videbat, aiebat Augustinus, quantum creverit cultus nominis Christi, praesertim posteaquam multi eorum Christiani facti sunt, qui tanquam vera illa divinatione revocabantur a fide eamque completo eodem annorum numero, inanem, ridendam viderunt? » (9)

Neque hic praetereundum legum imperialium metu multos ad religionem christianam converti. Non indignatur Augustinus eas latas servari et valere. Earum etiam cum nonnullae in Africa, Stilichone vivente, promulgatae aut innovatae fuissent exstinc-

(1) S. 105. — (2) *De civ Dei*, lib. III, sub fine. — (3) S. 296, n. 7. 8. — (4) S. 106, c. 10. — (5) S. 296, n. 6. — (6) *De civ. Dei*, V. 25. — (7) *De divinitate daem.* c. X. — (8) In Ps. 40, n. 1. — (9) *De civ. Dei*, l. XVIII, c. 54.

tas cum eo Pagani jactaverunt ; inde ingentes tumultus orti multisque in locis episcopi vexati, aut in christianos Pagani debacchati sunt. (1) At, non multo post, postulantibus episcopis eas leges et in Africa valere publice sancitum est. Augustinus qui « noluisset in his afflictationibus esse Africanam Ecclesiam constitutam, ut terrenae ullius potestatis indigeret auxilio » (2) se cum aliis episcopis ad securitatem vindicandam Paganorumque infringendam audaciam junxit. Sed quamvis probaret leges latas « pro Paganis magis, aiebat quam contra Paganos », (3) magistratus tamen orabat saepe ne Pagani necarentur neu suppliciis, quibus digni essent, exercerentur. Eadem fere omnes episcopi sentiebant, sed magis infensi erant populi contra reliquias simulacraque antiqui cultus. Carthagine inter sermones (4) a christianis acclamabatur, ut simulacra Carthagine frangerentur, sicuti Romae, fracta erant. Hoc ardentius studium episcopi non semel sedare studuerunt.

Ex his conjici posset Paganos Christianosque consuetudine vitae haud facile inter se conjungi. Valde erraret qui ita res se habuisse putaret. Ex epistolis enim, quae a Paganis accipit aut ad Paganos, quales sunt Maximus Madaurensis, Longinianus, Volusianus, scribit Augustinus, videntur docti utriusque religionis familiariter inter se uti et singuli singulorum rationem habere. Non dissimiliter res se habebant in Italia, ut videre est ex Symmachi epistolis, qui cum Ambrosio aliisque Christianis officiorum commercio jungitur. Cum etiam in cathedra Augustinus sederet, paganamque religionem quam vehementissime insequeretur aut ludibrio verteret, non dubitabat confiteri bene agere multos Paganos : « Quam multi etiam Pagani pascunt esurientem, vestiunt nudum, suscipiunt hospitem, visitant aegrotum, consolantur inclusum ». (5) Monebat quoque Christianos, ut sibi Paganos officiis multis devincirent (6) atque quemlibet hominem, « qua homo esset procreatus ad similitudinem Dei, tanquam proximum haberent ; » neque igitur licere, ut quidam putabant, (7) paganos rebus suis spoliari aut mendacio falli.

Nulla, credo, gratiora in auditorum aures consilia veniebant, ut ex eorum agendi modo patet. Cum Paganis enim societatem inibant sicubi aliquid commodi aut jucundi occurreret. Eos enim cum Paganis misceri, matrimoniis jungi videmus, inter eos etiam commercia fiebant quibus multum episcopi adversabantur : dolebat saepe Augustinus quod cum Paganis Christiani implebant amphitheatra, solemnitatibus eorum aderant obtendentes « ad vitam temporalem expedire deorum cultum, cujus cura ad

(1) Ep. 90, Ep. 91. -- (2) Ep 100 n. 1. -- (3) Hac blanda similitudine rem approbabat : « Sicut enim pueris insensatis ad lutum ludentibus et manus inquinantibus paedagogus cum venerit, severus lutum de manu excutit, codicem porrigit : ita voluit Deus per principes subditos sibi terrore corda insensata puerilia ut abjiciant lutum de manibus et aliquid utile faciant. » S. 62 n. 18. --- (4) S. 24 n. 6. (5) In Ps. 83 n. 7. -- (6) S. 24 n. 2. --- (7) S. 179. n. 5, In Ps, 25, n. 2.

Christum non pertinebat, sed propter vitam aeternam tantum Christum se colere. » (1) At quaenam difficultates eis occurrebant, qui rectum modum cum Paganis servare volebant ? Documento esse potest illa epistola (2) per quam ab Augustino Publicola consilia petit : « Licetne, ait, juramentum a barbaris accipere jurantibus per daemones suos ? Licetne Christianis aliquid quod de area trituratur in qua daemonibus oblatum est manducare ? Licetne de fonte vel de puteo bibere, ubi de sacrificio aliquid missum est, vel de puteo qui in templo est et desertus factus est ? Debetne christianus in balneis, quibus in die festo suo Pagani loti sunt, lavare sive cum ipsis sive sine ipsis. » Haec atque multa alia ejusmodi interroganti viro evenit ut Augustinum tam acuti sapientisque ingenii disquisitorem inveniret. At quam multa alia non minus abstrusa in consuetudine vitae occurrebant quae incertos animos tenebant ! Non mirum igitur si christianorum turba minus edocta quid lege Christi concederetur, quid vetaretur, inter tam diversos cultus non modum tenuit et interdum aequo inimiciorem aut faciliorem propioremque se exhibuit Paganis.

Omnes, qui Christiano nomine gloriabantur, non ideo uni eidemque doctrinae assentiebantur. Alii alia de christianis dogmatibus sentiebant, totque erant inter christianos sectae tantaeque doctrinarum contentiones, ut, « qui remanserant Pagani, non habentes quid dicerent contra nomen Christi, dissensionem Christianorum Christianis objicerent. » (3) Omnes haereses, quae post Christum octoginta octo numero coortae erant, Augustinus recensuit. Quasdam morientes, quasdam nascentes vidit ; acrius quam nemo illis quae ea aetate in Africa, in illa haeresibus quasi data terra exstiterunt, sed praecipue Manichaeis, Donatistis, Arianis, Pelagianis sese opposuit. Non nostrum est tempora, vices, doctrinasque singularum haereseon referre ; hac de re quivis Augustini librum adire potestquem de haeresibus scripsit. Ibi enim doctum, diligentem (4) et satis aequum se praebet, nisi forte cum libentius in Donatistas Circumcellionum scelera objicit. Nobis satis sit hic ostendere qua ratione agendi haeretici catholicique inter se haberent.

Quis nostrum non miratur quod his temporibus, dum tam vivax viget fides, pullulaverunt tot diversae opiniones, nec quaerit unde tot errores originem duxerint ? Augustino si credas, una mater superbia (5) omnes genuit, aut alicujus temporalis commodi et maximae gloriae principatusque cupiditas, aut Scripturae non bene intellectae. His causis addi potuisset, credo equidem, religionis ignorantia, qua laborabat christianorum plebecula nuper ad nomen christianum adducta, aut etiam ingeniorum imbecillitas. Quinam nisi stultissimi homines poterant haeresim effingere qualem *Ascitae* effinxerunt, « qui

(1) In. Ps. 26 n. 19. — (2) Ep. 46. — (3) S. 47 n. 28. — (4) Cf. L. Duchesne. *Le Dossier du Donatisme* in *Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'Ecole de Rome*, X, p. 589. — S. 46, n. 18.

perhibebantur utrem inflatum et opertum circuire bacchantes, tanquam ipsi sint evangelici utres novi novo vino repleti » aut qualem *Passalorynchitae* « qui, aiebat Augustinus, in tantum silentio student, ut naribus et labiis suis digitum opponant, ne vel ipsam taciturnitatem voce praeripiant, quando tacendum sibi esse arbitrantur. » (1) Hoc erroris discrimen in ejusmodi ingeniis augebat modus Scripturae per figuras interpretandae, qui tunc vigebat et cuilibet Christiano copiam cupiditatemque de his sentiendi quidquid sibi videbatur, faciebat. (2) Quamdam ideo videmus « haeresim nudis pedibus semper ambulantium eo quod Dominus dixerit ad Moysen : *solve calceamentum de pedibus tuis.* » Neque solidiore fundamento magnae haereses, qualis Donati pars, nitebantur. Hi qui cum catholicis diutius quam per centum annos decertaverunt ab Ecclesia abscesserant, quod Carthaginiensis episcopus Cecilianus a quodam episcopo Scripturarum traditore creatus esset, et cum malis bonos in Ecclesia mixtos vivere non liceret. Illa falsa esse cum esset approbatum, discissi tamen permanserunt, his sacris verbis nitentes « *Deus ab Africo veniet et sanctus de monte umbroso,* » (3) quibus Africam aut potius Donati partem Deo gratissimam significari affirmabant. Quantumvis tenuis, infirma et ridicula istius modi argumentatio nobis videatur, ducebat tamen saepe plane confutandam coram populo Augustinus, ut colligimus ex diligentia (4) qua utitur in his Scripturae locis interpretandis quotiescumque occurrunt.

Aliis etiam haeresibus ortum dedit veri cognoscendi religionisque christianae statuendae per vim ingenii sui cuique insita cupiditas. Testem habemus ipsum Augustinum, qui hac spe ad Manichaeorum errorem adductus est, et tum primum ab his discessit cum vana spe se delusum sensit ; « Quid enim, ait, me aliud cogebat annos fere novem, spreta religione quae mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione terreri et fidem nobis ante rationem imperari dicerent, se autem nullum premere ad fidem nisi prius discussa et enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur praesertim adolescentis animus cupidus veri ? » (5) At Augustini tanta fuit ingenii acies animique vis, ut errorem detegeret detectumque exueret, sed quam multi in errore nati permanebant aut quia opinabantur « nihil interesse ubi fidem Christi tenerent aut quia ad cognoscendam catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos pigrosque faciebat? » (6)

Utinam tantum mentis errore peccatum fuisset humanarumque

(1) *Lib. de Haeres.* 62, 63. -- (2) Annimadvertendum tamen est Augustinum non credere a quolibet Scripturarum expositionem « sed ab iis petendam esse qui earum doctores se esse profitentur fierique posse, imo semper id accidere, ut multa quae a doctioribus exponantur, eo laudanda videantur et eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur. » *De Morib Ecc.* l. 1. — (3) S. 46, n 39. — (4) S. 139, n 7 et 8. – (5) *De Utilit. cred.* n. 2. — (6) Ep. 93, n. 2. Cf. S. 46, n. 21.

ineptiarum numerum haereses auxissent ! at quaedam ad turpissima facta animos inducebant, aliae etiam ad scelera, qualis Circumcellionum, ut aiebant, qui se ipsos occidebant, martyrii studio incensi, aut incursationibus Catholicos inermes vexabant omniaque per agros et rura igne ferroque vastabant. Bonis etiam moribus nocebant illae multiplices sectae, quia si quis nefarii aliquid admisisset, ut episcoporum reprehensionem effugeret, ad aliam transibat. (1)

Non idcirco catholicorum Augustinique animi tot errorum spectaculo valde offendebantur. His verbis Pauli fidentes : « *Oportet haereses esse ut probati manifesti fiant in vobis* » (2) ratum habebant illas Ecclesiae esse utiles. Quod non semel auditores Augustinus docet hac interdum similitudine laeta utens : « Cum haeretici calumniantur, parvuli perturbantur, cum perturbantur, inquirunt, inquisitio quasi percussio est de capite in ubera matris ut tantum manent, quantum parvulis sat est... et sic fit ut illi sint utiles ad inveniendam veritatem, dum calumniantur ad seducendum in errorem. » (3) Illas igitur nasci Deus sinebat ut Scripturarum studio magis christiani incumberent, (4) benevolentiaque erga adversarios uterentur. (5)

Sed, ut haeretici Ecclesiae aliquid commodi, ita singulis christianis pessimum damnum afferre poterant Itaque episcopi cum summa diligentia, praesertim Augustinus, curabant, ut auditores ab illis avocarent. Eos igitur depingebat tanquam antichristos, (6) diaboli filios, (7) milites et adjutores. Etiamsi igitur « sacramenta habebant formam pietatis exhibentia, nulla in eis esse poterat, aiebat, virtus pietatis invisibilis et spiritus, quemadmodum sensus non sequitur hominis membrum quando amputatur a corpore. » (8) Omnibus igitur modis ad Ecclesiam revocandi erant, sed per preces magis quam per jurgia. (9). Consentiens erat Augustini cum verbis agendi ratio ; nemo tam ad placide disputandum haereticos vocavit, nemo tantum ex collationibus spem concepit.

Fatendum tamen sensisse Augustinum satis non esse haereticos luce veritatis allicere. Illos doceri voluit sed et terreri. « Si enim, aiebat, terrerentur et non docerentur improba quasi dominatio videretur. Rursus si docerentur et non terrerentur, vetustate consuetudinis indurati ad capessendam viam salutis pigrius moverentur. » (10) Censuit ergo coercendos vi publica haereticos, et leges in id ipsum ab imperatoribus ferri posse et debere ; latas coram Hipponensibus fidelibus non semel defendit (11) aut, ut servarentur, postulavit. (12) Non me fugit hanc sententiam illi vitio multos dedisse. Ipse etiam, ut scripsit, (13) primum putave-

(1) Ep. 24. Ep. 108. — (2) I. Cor. XI, 19. — (3) S. 51, n 11. — 4) S. 55, n 22. — (5) *De fide et symb.* I. — (6) *De Civit Dei*, l. XX, 19. — (7) S. 46 n 28. — (8) S. 71, n. 19. — (9) S. 357 et 358. — (10) Ep. 93, n. 1. — (11) In Ps. 57, n. 15. In Ps. 59, n. 3. In Ps. 101. — (12) Ep. 86. — (13) Ep. 93.

rat non vi cum haereticis, sed solum verbo Dei et ratione agendum. At ejus bonam mentem vicerant alii episcopi et exempla aliquot christianorum vi ad fidem adductorum, quam optime servabant. Molestum igitur se haereticis praebere ea pietas illi visa est, et « magna in eos misericordia utilitasque cum per leges Imperatorum a sua secta eriperentur. » (1)

Haec opinio parum placet recentioribus auribus, agnosco equidem nec miror; profitendum tamen quosdam ejus aetatis haereticos in discrimen civium securitatem adduxisse semperque ad societatem cum rebellantibus ducibus aut imperium affectantibus Alexandro, Firmo, Gildone et aliis ineundam paratos (2) atque ad imperatores pertinere eorum audaciam refringere pravosque mores corrigere ; haereticos etiam primos ad publicam potestatem, Constantino imperatore, ab Ecclesia provocavisse veteresque Romanos sensisse semper de religionibus rei publicae inquirendi jus esse. Quid mirum igitur si Augustinus omnibus aequalibus sive catholicis sive haereticis assensus est ?

Illum tamen non silentio praetermittendum est se haereticis mitiorem, quam hujus aetatis neminem alium praebuisse. Ejus sunt haec notissima verba ad Manichaeos haereticos : « Illi in vos saeviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur et quam difficile caveantur errores. Illi in vos saeviant qui nesciunt quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piae mentis serenitate superare. Illi in vos saeviant qui nesciunt quibus suspiriis et gemitibus fiat ut quantulacumque parte possit intelligi Deus. Postremo illi in vos saeviant qui numquam tali errore decepti sunt, quali vos deceptos videant. Ego autem qui diu multumque jactatus tandem respicere potui quid sit illa sinceritas, quae sine inanis fabulae narratione percipitur ...saevire in vos omnino non possum, quos sicut in meipsum illo tempore ita nunc debeo sustinere, et tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus et caecus errarem. » (3)

Haec postea non est oblitus, cum cathedram ascendit ; audientes igitur non semel hortatus est, ut se cum haereticis placide haberent : « Ferendus est, aiebat, disputator errans in aliis quaestionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiae auctoritate firmatis... habete ad illos, qui nostis illos, habete cum illis amice, fraterne, placide, amanter, dolenter. » (4) Ipse non solum apud magistratus semper obstitit quin haeretici morte afficerentur, (5) sed et deprecatus est ne quidam episcopi Donatistae poenis quas propter male acta erant meriti, plecterentur. (6)

(1) *De correctione Donatist.* Ep. 185. — (2) *Contra litter. Petil.* I, 24, II, 93. Cf. Masqueray : *De Aurasio Monte.* p. 86. — (3) *Cont. Epist. quam vocant Fundamenti,* c. 2. — (4) S. 294, n. 20. S. 358. — (5) Ep. 100, n. 2. — (6) Ep. 88, n. 7. Ep. 66, 1.

Populi vero non ea cum moderatione inter se agebant. Proximae vitae consuetudine jungebantur quippe qui aliquando in una eademque domo catholici et haeretici invenirentur; (1) attamen alii in alios magis invehebantur quam in Paganos. Hippone olim catholicis Donatistae panem coquere noluerant; temporibus Augustini Catholicos videmus minus faciles (2) quam episcopum ad excipiendos haereticos qui ad Ecclesiam revertebantur. Itaque nunquam audimus Augustinum, ut olim de Paganis, querentem quod Catholici haereticorum festis adsint aut cum illis communicent.

In hoc tot sectarum certamine in Africa sicut in ceteris partibus ab Ecclesia catholica victoria stetit. Quam ut consequeretur cleri ope auxilioque magnopere Ecclesia adjuta erat; magnam enim auctoritatem viresque ei afferebat ordine opportuno constitutus, bonis moribus rerumque sacrarum scientia imbutus clerus. At in Africa his omnibus virtutibus commendatus fuisse videtur.

Ea jam tempestate duplici sub aspectu clericorum condicio considerari poterat, ut ab Augustino accepimus : « Nihil erat, in hac vita et maxime hoc tempore facilius et laetius et hominibus acceptabilius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio si perfunctorie atque adulatorie res agatur, sed nihil apud Deum miserius et tristius et damnabilius. Item nihil esse in hac vita et maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi aut presbyteri aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet. » (3) Eo, credo, modo militavisse, ut Augustini verbis utar, his temporibus plurimos clericos Africae, inde forte tanta eorum paucitas qua Africana Ecclesia ita laborabat, « ut in multis Ecclesiis ne unus quidem illiteratus diaconus praesto esset. (4) Quotidianos planctus, aiebant episcopi in Hipponensi concilio congregati, pene emortuarum plebium jam non sustinemus; quibus nisi fuerit aliquando subventum, gravis nobis et inexcusabilis innumerabilium animarum pereuntium causa apud Deum mansura est » Itaque ut huic malo remedium afferretur, censebant episcopi catholici in suum ordinem recipiendos et in suo honore graduque servandos clericos qui ex Donatistis ad Ecclesiam converterentur. (5)

Clero praesunt episcopi, qui plurimi in Africa a primo fere ortu Ecclesiae exstiterunt, ut antea vidimus. Quam auctus sit hic numerus Augustini aetate, ex Actis illius celeberrimae Collationis perspici potest, quae Carthagine quadringentesimo undecimo anno habita est. Ibi enim adfuerunt ducenti octoginta sex episcopi catholici, praeterea aberant centum quadraginta, et sexaginta episcopales sedes vacabant. Si ad hos ducentos

(1) « Video quanta et quam miserabili foeditate christianae domus familiaeque turbatae sunt. Mariti et uxores de suo lecto sibi consentiunt et de Christi altare dissentiunt. » Ep. 33. In Ps. 44, n. 11. — (2) S. 296, n. 12. — (3) Ep. 21 n 1. — (4) Labbe *Concil.* T. II, p. 1642. — (5) Ibid.

septuaginta octo episcopos donatistas addas, habes plures quam septingentos episcopos. (1) Non mirum si alii aliis crimini dare possent, quod infimis in locis episcopi constituti essent. (2)

Nusquam in Occidentali Ecclesia tam bene, quam in Africa, constitutum Episcoporum corpus invenitur. In provincias certas omnes distribuuntur. Eae tamen non inter civilium provinciarum fines continentur ; siquidem, quamvis sit in Cirtensem et Milicianam seu Limitaneam divisa Numidia, Augustini tamen tempore una est Ecclesiae Africanae provincia Numidia ; in Augustini scriptis Numidiae primas, nunquam Numidiarum primates nominantur, nisi forte Numidia Limitanea, sicut quidam scriptores sentiunt, (3) cum Tripolitana sit in unam eamdemque provinciam redigenda. Sed a Numidia nondum discernebatur Mauretania Sitifensis (4) cum Augustinus presbyter creatus est, nam, in concilio Hipponensi, coram quo Augustinus presbyter verba fecit, primo in provinciam erecta fuit.

Cuique suus provinciae primas praeest. Haec tamen dignitas, sicut in ceteris regionibus, certae civitati tanquam metropoli non affingitur, sed ad eum episcopum defertur qui primus omnium inter episcopos cooptatus erat inde aliquando inter episcopos contentiones cum de cooptationis tempore ambigeretur. (5) Primatis vero eae erant partes episcoporum electioni adesse, electos approbare vel amovere approbatosque consecrare, ut videmus cum de Augustino consecrando actum est. (6) Ad eum quoque pertinet sedes episcopales novas instituere, si opus sit, approbante provinciae concilio et episcopo a cujus ditione constituenda dioecesis distrahebatur. (7) Praetera, si qua gravior res inter episcopos occurrit, si cui episcoporum *epistola*, ut aiebant, *formata* ad iter in transmarinas Ecclesias suscipiendum opus esset, ad primatem defertur.

Sed super omnes Ecclesias et primates eminet Carthaginiensis episcopus, cui jampridem in Proconsulari primatis perpetui et in tota Africa patriarchae partes obtigerunt. (8) Non solum ceteris Africanis Ecclesiis Paschae diem quotannis indicit, sed et invigilat : quotannis etiam aliquam ceterarum provinciarum obit, concilium Africanum convocat, et causas jure summae cognitionis judicat de quibus ab Primatibus provocatum est.

Conciliis completur tam bene ordinata constitutio. Hi coetus, ad quos episcopi conveniunt, nomine solo provinciarum publico

(1) *Gest. prim. Cognit.* — (2) Ibid. Cf. 181 : Alypius episcopus Ecclesiae catholicae dixit : « Scriptum sit istos omnes in villis vel in fundis esse episcopos ordinatos, non in aliquibus civitatibus. » Petilianus episcopus (donatista) dixit « Sic etiam tu multos habes per omnes agros dispersos, imo crebros ubi habes sane et sine populis habes » — (3) Mommsen C. I. L. VIII, p. XVII-XVIII. Cf. C. Jullian. *Correction à la liste de Vérone*, in *Mélanges d'archéol. et d'hist. de l'Ecole de Rome*, II, p. 84. — (4) Hard. *Conc.* II, p. 1057. — (5) *Retract*, I, 17. — (6) Ep. 59. — (7) Ep. 31 n. 4 et *Contra Cresc*, III, 92. — (8) Conc. Afric. an 457 et Ep. Aug. 209. De ea re Cf. L'abbé L. Duchesne. *Les Origines du culte chrétien*, ch. I.

concilio affines sunt. Illa enim in singulis tantum provinciis habebantur. Proconsularis, Byzacenae, Tripolitanae, Numidiae, Quatuor Coloniarum, Sitifensis (1) Tingitanaeque (2) Mauretaniarum publica concilia ex inscriptionibus nota sunt; nunquam tamen totius Africanae dioeceseos concilium invenimus.

Episcoporum vero concilia ab orientalis Ecclesiae conciliis normam sumpsisse videntur. Cum enim nondum in Africa haberentur, in medium orientalium conciliorum exempla Tertullianus afferebat. « Aguntur, aiebat, per Graecias illa certis in locis concilia ex universis ecclesiis, per quae et altiora quaeque in commune tractantur et ipsa repraesentatio totius nominis christiani magna veneratione celebratur. » (3) Post annos fere triginta et in Africa concilia haberi coepta sunt, neque solum provinciae cuique sua concilia quotannis erant : nam saepe ex universis Africae Ecclesiis concilium habetur. Videmus enim, Cypriano episcopo, ad Carthaginiense concilium convenire episcopos « ex provincia Africa, Numidia, Mauretania. » (4) Augustini vero temporibus, in concilio Hipponensi, anno 393, statutum est Carthaginiensi episcopo quotannis mense Augusto concilium Africanum convocandum esse : quod servatum est usque ad annum 407, quo sancitum est, ne episcopis gravius onus Carthaginem quotannis conveniendi imponeretur, tunc Africanum concilium dumtaxat convocandum cum graviores res occurrerent, quae totius Africae interessent. Duarum etiam provinciarum episcopi aliquando in concilium unum convenire videntur cum Victorinus Numidiae primas ad concilium episcopos Mauretaniae jam provinciae factae convocet. (4)

Quantum ab publicis conciliis episcoporum concilia discrepent ostendunt etiam nobis res, in quibus singula versantur : ad festa divorum Augustorum praesertim celebranda, provinciae sacerdotes seu flamines eligendos, magistratus laudandos aut accusandos aut patronos bene meritos statua donandos instituta erant concilia publica, atque vix tam exiguas partes egerunt. Frustra Africanis conciliis a Constantio imperatore potestas facta est ut « congruente arbitrio studii conderent cuncta decreta aut commodum quod crederent consulerent sibi, quod sentirent eloquerentur, decretis conditis missisque legatis »; (5) parum in rebus publicis gerendis aut moribus instituendis eorum auctoritas valuit.

Episcoporum autem concilia non modo constituendae tuendaeque fidei maximam curam contulerunt, sed et populorum clericorumque mores mirum in modum informaverunt ; missis etiam ad imperatores precibus aut legatis consecuta, ut multae leges ferrentur quibus Africanae res statuerentur, praesertim

(1) Cf. Pallu de Lessert : *Les Assemblées provinciales et le culte provincial dans l'Afrique romaine.* — (2) *Bulletin Archéologique du Comité des travaux historiques*, 1891, p. 144. — (3) Tertul. *De Jejuniis* 21. — (3) Cypr. *Epist.* Ed. Hartel, p. 135. — (4) Ep. Aug. 59. — (5) *Cod. Theod.* XII, 12.

quae ad religiones pertinerent. Ex eorum conciliorum decretis sunt quoque canonum codices confecti, quorum magna apud graecas latinasque Ecclesias auctoritas fuit.

Africanae Ecclesiae multa commercia erant cum transmarinis Ecclesiis, praesertim cum romana Ecclesia. Ad hanc saepe defertur tanquam « ad Apostolicam sedem », (1) in qua « semper Apostolicae cathedrae viguit principatus, » (2) sed maxime cum quid gravius constituendum est aut quod universae consuetudini derogetur, ut rebus statutis hujus « sanctae sedis adhibeatur auctoritas; » (3) videmus etiam Africanum concilium in suum gradum clericos olim donatistas non prius excipere audere quam transmarinae Ecclesiae sint assensae. (4) Aegre tamen ferunt Africani episcopi a suo concilio aut tribunali provocari ad romanam Ecclesiam; postquam igitur Zozimus Papa in suam communionem, ut aiebant, presbyterum quemdam Apiarium propter scelera patrata in Africa damnatum exceperat, reclamati sunt episcopi, adstantibus Zozimi legatis; attamen Apiario veniam, non rescisso priore judicio, concedendam censuerunt, propterea quod canonum codices allati erant, quibus Nicaeno concilio statutum esset ad romanum episcopum ab universis provinciis provocationem fieri licere; (5) sed cum ab orientalibus Ecclesiis concilii Nicaeni veros canones accepissent, in quibus nullum ejus modi praeceptum inveniebatur, Caelestino Papae se non jam provocationes passuros scripserunt : « Impendio, aiunt, deprecamur ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicaeno conciliio definitum facile adverteret Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de episcopis voluit observari, ne in sua provincia suspensi a tua Sanctitate vel praepropere vel indebite communioni restituerentur? Exsecutores etiam, addunt, clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere; ne famosum typhum saeculi in Ecclesiam Christi, quae lucem simplicitatis et humilitatis diem Deum videre cupientibus praefert, videamur inducere. » (6) Itaque Augustinus cum, paucis interpositis annis, novam vivendi rationem clericis instituit, coram populo innuit non sibi curae clericorum provocationem ad transmarinas ecclesias fore. « Interpellet, ait, contra me mille concilia, naviget contra me quo voluerit, adjuvabit me Deus, ut ubi ego episcopus sum, ille clericus esse non possit. » (7)

Cum igitur de singulis administrandis agitur, solus Episcopus caput duxque populi clericorumque habetur. Clericis praeest,

(1) Aug. Ep. 175. — (2) Ep. 43, n 3. — (3) Ep. 175. — (4) Hard. *Concil.* II, 1080 et s. — (5) Id. II, 1148 et s. — (6) Ibid. — (7) S. 136, n. 14.

eos instituit, regit, inspicit, participes ministerii accipit aut officium suum eis in dioeceseos longinquis partibus committit. Jam enim in Africa parochiae, ut aiunt, institutae sunt. Carthago sane in regiones dvidebatur, in quibus singulis basilicae seu ecclesiae fuisse videntur (1), at nescimus num proprio perpetuoque presbytero mandarentur. Sed jam certo per agros fundosque rusticanae ecclesiae exstructae parochiaeque constitutae erant, quae uni presbytero et certis clericis permittebantur ; in Hipponensi dioecesi jam institutas Subsanae (2), Cizani (3), Verbali (4), Straboniae (5), Malianae (6), Fussalae, (7) Mutugenne (8) ecclesias invenimus.

At populi regendi cura episcopis gravius onus imponere videtur. Plurima sunt verba Augustini de sarcina episcopatus quotannis querentis : « Corripiendi, ait, sunt inquieti, pusillanimes consolandi, infirmi suscipiendi, contradicentes redarguendi, insidiantes cavendi, imperiti docendi, desidiosi excitandi, contentiosi cohibendi, superbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adjuvandi, oppressi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi. » (9)

Primum, ut singula recenseamus, episcoporum munus erat in contione coram populo singulis fere diebus, Hippone saltem, habenda. Ad episcopum solum in Occidentis partibus praedicatio olim pertinebat ; Augustinus presbyter primus in Africa verba fecit episcopi loco. Quod primum ceteri episcopi aegre tulerunt, (10) et paulatim tantum, cum ille mos Carthaginem receptus esset, per totam Africam incessit.

Deinde in componendis litibus episcopi multum versabantur. Verbis enim Apostoli Pauli (11) ducti, Christiani suas lites ad episcopos deferre solebant. Hippone etiam Augustinus multo diutius quam volebat, judiciis vacabat : « Interpellatus, ait Possidius, (12) a Christianis vel a cujusque sectae hominibus (Augustinus), causas audiebat diligenter ac pie, et eas aliquando usque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans semper tamen noscebat et dirimebat. At non tantum litium dirimendarum causa episcopum adibant Christiani, sed etiam in omni rerum suarum discrimine ; (1) itaque Augustinus Hipponenses his verbis alloqui poterat : « Contremiscis, conturbaris, pallescis, ad ecclesiam curris, episcopum videre desideras, ad pedes ejus volutaris. Quaerit quare ? Libera

(1) Vict. Vit. I c 5. et Aug. SS. 14, 15, 19, 23, 26, 30, 53, 155, 163. — (2) Ep. 56 n 1. Ep. 63. — (3) Ibid. — (4) Ibid. — (5) Ep. 65. — (6) Ep. 236. — (7) Ep. 209. — (8) Ep. 23. — (9) S. 340 n 1. — (10) Possid. *Vit. Aug.* c V et Aug. Ep. 51. — (11) I, *ad Cor.* VI, 1. — (12) Possid *Vit. Aug.* c. XIX. — (13) Ea erat forte causa cur populi ut divites, etiam inviti ad episcopatum aut presbyteratum cooptarentur poscebant. Synezii, Paulini, Ambrosii et aliorum exempla nota sunt. Hippone etiam populus Augustino vim prope intulit ut Pinianum invitum, praesente uxore, presbyterum crearet.

me, inquis. Quid agitur? Ecce ille mihi calumniatur. Et quid tibi facturus est? Domine, concutior; Domine, in carcerem mittor, miserere mei, libera me ». (1) Hac sarcina deprecantem Augustinum quinque hebdomadis dies populo Hipponensi liberari placuerat : « Gesta confecta erant, acclamaverant Christiani ; sed parvo tempore servatum est. » et iterum queritur Augustinus « quod ante meridiem et post meridiem occupationibus hominum implicetur. » (2)

Ad haec adde Ecclesiae bonorum dispensatio, pauperum pupillorumque cura, et facile intelliges episcopis multas occurrere occasiones cum juvandi tum offendendi populi. Difficile est ejus litigantium invidiam effugere contra quem jus dixeris ; ideo dicere solebat Augustinus « se malle inter incognitos quam inter amicos causas audire ; eo quod de incognitis pro quo arbitra aequitate judicaretur amicum posset acquirere ; de amicis vero unum esset, contra quem sententiam proferretur, perditurus. » (3) Non igitur Augustinum demiramur saepe querentem quod fidelium sermonibus carperetur : « Quam multi, aiebat, ex semetipsis dicunt de nobis quod ista in Ecclesia quaerimus honores, laudes, utilitates temporales ! Quam multi dicunt me propterea loqui ut acclametis me et laudetis me ! » (4) Alii « avaritiam clericorum, improbitates clericorum, lites clericorum jactabant. » (5) Quae vituperationes et aliae ejusmodi saepe injustae erant, at non semper omni fundamento carebant ; in sermonibus Augustinus ipse saepe fatetur bonis clericis malos misceri. In epistolis queritur quod per clericos grassantur contentiones et dolus « quorum mater superbia est et humanae laudis aviditas, quae etiam generat hypocrisim. » Ducunt merito clerici « magnum esse de honoribus et laudibus hominum non laetari » sed non ideo « omnem pompam inanem praecidere » student, neque curant « si quid inde necessarium retinetur, » ut « id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferant. » (7) Episcopos etiam meminit Augustinus multos propter pravum agendi modum episcopatus munere conciliis spoliandos fuisse (8) et ipsimet ab episcopatus dignitate, ad quam evehendum eum curaverat, Antonius Fussalensis arcendus fuit. (9) Sunt alii episcopi animo impotentes, anathematis sententiam contra totam domum temere propter culpam solius patris ferentes. (10) Sunt et clerici ab una religione ad aliam sine verecundia transeuntes, (11) aut honoribus et commodo suo plus aequo inservientes (12) aut turpissimis sceleribus maculatos. (13)

Haec, quamtumvis vituperanda, non mira in hominibus sunt, qui rebus mundanis, ut aiebant, a pueris implicabantur. Clerici enim, ut Carthaginiense concilium praecipit, (14) arte manuque

(1) S. 161 n. 4. — (2) Ep. 213 n. 5. — (3) Possid. *Vit. Aug*. c. XIX. — (4) In Ps. 141 n. 8. — (5) In Ps. 99 n. 12. — (6) Ibid. In Ps. 132 n. 4. Ep. 208. — (7) Ep. 22, n. 7 et 8. — (8) Ep. 209. — (9) Ibid. (10) Ep. 250 — (11) Ep. 22. Ep. 106 Ep. 236. — (12) Ep. 208, Ep. 66. (13) Ep. 78. — (14) Anno 398 can. 52.

victum quaerebant. Plurimi etiam uxores duxisse videntur, prius-quam ad Ecclesiae munera accesserunt iisque educandi nutriendique pueri curae sunt ; itaque eos saepe monent concilia, ne eorum pueri spectacula edant, ne ludis adsint, ne extra catholicam Ecclesiam matrimonio jungantur, neu citius emancipentur. » (1) Quorumdam praeterea uxores nondum mortuae sunt iisque concilia praecipiunt ne eas uxorum sed sororum loco habeant. (2)

At si omnia quae in clericis Augustinus notat et reprehendit in unum congeres et cum iis conferes quae de clericis apud Hieronymum aut sanctum Joannem Chrysostomum habentur, facile intelliges quanto Africani clerici antistitesque aliarum partium clericis praestent. Ibi enim fere simul praestantissimi episcopi inveniuntur quales Augustinus Hippone-Regio, Aurelius Carthagine, Alypius Thagastae, Possidius Calamae et multi alii ex lateribus Augustini in episcopatum assumpti. Non inter eos saevit dira illa cupiditas majoris Ecclesiae adipiscendae quam eam quam obtinent, neque illae contentiones pessimae quibus tot optimi orientales episcopi quales Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus oppressi sunt ; clericos autem invenimus de plebe edocenda rudi sollicitos, aut suas divitias pauperibus largientes ; quam etiam miranda clericorum Hipponensium vita moresque, quae nobis maxime Augustini sermonibus illustratur ! (3) Eos videmus vitam communem more ascetico omnes degentes, suis bonis ad pauperes levandos aut ad xenodochia aedificanda relictis. (4)

Causam scrutanti cur tanta virtute Africani clerici ornentur ex eo quaerenda est, credo equidem, quod, cum Catholici Donatistaeque simul juncti in consuetudine vitae versentur, curant caventque clerici ne alii parti ob culpas suas religionis suae reprehendendae occasionem praebant. Praeterea multum, ut arbitror, ad bonos clericorum mores servandos instituendosque conferebat in eligendis presbyteris et episcopis modus adhibitus.

Jampridem in Africa, quamvis suae cuique ecclesiae consuetudines essent, ad majorem consensum christiani populi respectus in electionibus habebatur. Suffragiis eligendum episcopis populi designabant. Itaque cum Valerius « de providendo et ordinando presbytero plebem Dei, ait Possidius, alloqueretur et exhortaretur, jam scientes sancti Augustini propositum et doctrinam, manu injecta,... eum tenuerunt, et, ut in talibus consuetum est, episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu et desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio et clamore flagitantibus... Et eorum, ut voluerunt, completum est desiderium. » (5) Paucis interjectis annis eadem, fere

(1) Hard. *Concil.* II, pp. 1069, 1180 et s. — (2) Id. II, p. 1093. — (3) S. 355. S. 356. — (4) Ibid. — (5) Possid. *Vita Aug.*

occasio Hippone occurrit. Cum Pinianus ejusque uxor Hipponem venissent Augustini invisendi causa ibique rei sacrae interessent, subito est coortus clamor populi poscentis ut Augustinus ad presbyteratum Pinianum promoveret. Restitit episcopus, ne invitum presbyterum consecraret, causatus Piniani et Melaniae repugnantiam et jusjurandum quo se Pinianum invitum Hipponensi clero non adscripturum erat pollicitus, at nunquam populo presbyteri designandi jus esse negavit (1) Sed paulatim postea populi partes in electionibus minuuntur, primasque clerici consequuntur. Ex Augustini ipsius ratione agendi liquido res illustrior fit.

Qui cum Fussalae episcopum creare statuisset, quemdam sacerdotem primum qui episcopatum recusavit, deinde lectorem Antonium civibus non petentibus obtulit. (2) In Milevitana quoque Ecclesia, ut ab Augustino accepimus, (3) Severus episcopus moriens sibi successorem clero soli quemdam sacerdotem designaverat, nulla ratione ad populum habita, et « quamvis nonnulli contristarentur, » cooptatio episcopi valuit. Parum dissimili ratione usus ipse Augustinus qui tamen « in ordinandis sacerdotibus et clericis consensum majorem christianorum et consuetudinem Ecclesiae sequendam arbitrabatur, » (4) successorem sibi Eraclium populo Hipponensi proposuit, qui non a se electum accepit et probavit.

Dicit tamen Augustinus « post obitus episcoporum per ambitiosos aut contentiosos solere Ecclesias perturbari. » (5) At rem in Africa multo minus accidisse apparet, quam in aliis Ecclesiis, neque unquam adeo ut optimus quisque christianus libens aut invitus ab Ecclesiae honoribus arceretur, aut Africanae Ecclesiae sanctitas integritasque imminueretur.

Non ideo putandum laico populo nullam partem in Ecclesia administranda esse servatam. Cum clericis non ea quidem societate populi junguntur, qua olim primis Ecclesiae temporibus ; jam enim res sacrae, virtutes (6) etiam heu ! saepius clericis reservantur ; pristini tamen moris multa vestigia supersunt. Quamvis non jam maximum momentum in eligendis clericis populi suffragia afferant, presbyteri tamen aut episcopi, eo inscio et repugnante, cooptari non solent et populum monent saepe episcopi, tanquam ex officio, de Ecclesiae bonis et ad quos usus oblationes adhibeantur aut desiderentur. Neque tantum in rebus externis populi votorum cura erat habenda, sed et in rebus sacris ei referendum erat et plerumque obsequendum. Documento enim nobis esse potest ea historia quam ad Hieronymum de lectione sacrorum librorum Augustinus mittit. Codices

(1) Ep. 124, Ep. 126. — (2) Ep. 209. — (3) Ep. 213. — (4) Possid. *Vit. Aug.* c. XXI. — (5) Ep. 213. — (6) « Bene vos ab istis (theatris) abstinetis, qui clerici estis qui episcopi estis, non autem nos Laici., » S. XVII. 8 primum a Migne edito.

Scripturae sacrae legendae, quos Hieronymus ex Hebraeo nuper converterat, Oeae civitatis episcopus antiquis codicibus suffecerat. Cum novi codices legi coepti essent, locus occurit in quo Hebraeum verbum quoddam quod olim per verbum *cucurbitam* nunc per verbum *hederam* transferebatur. Quo verbo audito, « factus est tantus tumultus in plebe, maxime graecis arguentibus et inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur episcopus Judaeorum testimonium flagitare.... Quid plura ? Coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe. » (1) Si quid igitur novi in sacras res induceretur, non aequo animo populi ferebant. Itaque cum Carthagine mos esse coepit « ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libris, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum » (2) hunc morem « maledica reprehensione laceravit quidam Hilarus vir tribunitius asserens fieri non oportere. » Contra quem unum librum, jubentibus fratribus, Augustinus rescripsit. (3) Sed etiam Hipponenses, quamvis carissimum suum episcopum haberent maximique facerent, Augustinum non patiebantur ne in ordinandis quidem Scripturae sacrae lectionibus aliquid immutare. Audiamus Augustinum ipsum : « Passio, quia uno die legitur, non solet legi nisi secundum Matthaeum. Volueram ali quando ut per singulos annos secundum omnes Evangelistas etiam passio legeretur ; factum est ; non audierunt homines, quod consueverant et perturbati sunt. » Quin etiam, ne Donatistarum accusationibus locum praebeant, ab Augustino enixe expetunt ut ex presbyterorum numero deleatur nomen cujusdam Bonifacii, in quem crimen nondum comprobatum neque verisimile intendebatur, atque absens Augustinus sine mora scribendum duxit ut concitatos animos pacaret. (5)

Nondum e numero clericorum, ut nunc, ii erant qui monachi dicebantur ; attamen in vitae consuetudine saepe cum his jungebantur. Multi enim monachi, qualis Augustinus, in clericos cooptabantur ; multique clerici monachorum more vitam ducebant.

Vita, quam asceticam dicebant, agi coepta erat primum inter christianos servandorum stricte evangelicorum praeceptorum studiosos. Attamen primo ascetici aut, ut aiebant latine, confessores vel continentes in mundo versati manebant. Tempore Augustini quidam etiam eo modo vivebant ut ex sermone colligitur quem ipse ad *Continentes* habet. (6) Sed saeviente persecutionum vi, dein Christianorum languescentibus bonis moribus, multi in Orientis partibus ad deserta loca sese receperunt, tuto solitariae aut communis vitae per exercitationes sanctas agendae causa, unde dicti monachi aut coenobitae.

Qui vivendi modus in Africa jam Cypriani aetate a feminis erat

(1) Ep. 71 n 5. — (2) *Retract*, II, 11. — (3) S. 232 n. 1. — (4) Ep. 78. — (5) Poss. *Vit. Aug.* c 23 et s. SS. 355-356. — (6) S. 354.

adhibitus, (1) et iis tam multis ut in Ecclesiis certa loca haberent (2) sed nondum, Augustino puero, a viris colebatur. Ipse prima virorum monasteria Romae et Mediolani (3) vidit, et in Africam redux illam vitam communem cum Alypio et ceteris amicis instituit. Ad exemplar hujus primi monasterii multa alia brevi per Africam instituta sunt. (4) Ad haec confugiebant sane praestantes egregiique cives, quales Augustinus ejusque amici, sed et multi infimae condicionis homines : « Nunc, inquit Augustinus veniunt plerumque ad hanc professionem servitutis Dei et ex condicione servili, vel etiam liberti vel propter hoc a dominis liberati, sive liberandi et ex vita rusticana et ex opificum exercitatione et plebeio labore. Neque apparet utrum ex proposito servitutis Dei venerint, an vitam inopem et laboriosam fugientes, vacui, pasci atque vestiri voluerint et insuper honorari ab eis a quibus contemni conterique consueverant. » (5)

Africani monachi non ad illas sui immodicas vexationes delapsi sunt, quae de Aegyptiis monachis per orbem terrarum narrabantur, (6) sed Augustini exemplo ducti medium modum tenebant : non omni humano commercio carebant, sed juxta civitates vitam communem sub certa agendi norma, paepositis ducibus, (7) agebant, utili operae plerumque vacantes, ita ut sanctimoniales inveniantur quae expositos pueros colligunt nutriuntque (8) aut quae librorum bibliothecas habent.

Iis igitur, qui monasteria ingredi volunt, bona sunt relinquenda, si qua sint, imperioque praepositi ducis obtemperandum. Tempus ibi teritur « quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei cum lectione et silentio. » (9) Dubium postea coortum fut numi sanctis excercitationibus labor esset addendus. Nonnulli monachi proprio sudore suum victum cuique comparandum sentiebant, at alii otii studiosiores, nimis verbis evangelicis instantes aves caeli imitari volebant, parum solliciti *quid manducarent aut quo vestirentur,* sed victum ab oblationibus christianorum exspectantes. Inde multae contentiones Carthagine commotae, propter quas Aurelius Augustinum consuluit, qui sana mente animique moderatione firmatus, ut solebat, contra fallacem sublimioris pietatis speciem toto opere pigrorum argumentationes redarguit laboremque ab omnibus monachis exigendum censuit. (10)

Intelligi facile potest quam Augustino placeat ea monachorum vita, qualem ipse instituit : ab his enim illa christianae vitae

(1) Cypr. Ep. 4 et *De habitu Virginum.* -- (2) Ut ex inscriptione [*virginum cancelli*] inter basilicae cujusdam ruinas eruta. V, *Recueil de la Société d'Arch. de Const.* XXVI, p. 91. — (3) *Conf.* lib. VIII, c 6 et *De Morib Ecc. Cath* I, c. 32. — (4) *Cont. Faust. Manich,* l. III, V, c 9. — (5) *De oper. Monach.* I, 22. — (6) Sulp. Sev *Dialog.* II, c 1, 2, Augustino tamen, illi sapienti viro non omnia arrident in tam insolita vita monachorum. *De Mor. Eccl.* I, c. 66. — (7) Ep. 211. — (8) Ep. 98. — (9) In Ps. 99, n. 12. — (10) *De opere monach.*

species omnino absoluta exhibebatur quae in Actibus Apostolorum describitur (1) et quam omni Christiano expetendam credebat, (2) ibi virginitas matrimonio anteponebatur, ibi praesens vita spe futurae contemnebatur, ibi amor Dei amorem saeculi vincebat, (3) quae summa perfectio Christianae legis erat. Itaque quanto studio coram Christianis eam laudat, (4) quanta vehementia indignatur monachos a Donatistis (5) cum Circumcellionibus conferri aut a Paganis stultos (6) vocitari, quod res suas egenis distribuebant !

Augustinum tamen non fugiebat multos vitiis infici monachos. Hippone etiam sanctimoniales objurgandae fuerant, ne contra praepositam mulierem tumultuarentur. Ab eo quoque accepimus illos e monasteriis saepe elapsos, sive ut ad suos reverterentur, sive ut in clericos cooptarentur. « Alii facile inveniuntur, ait, circumeuntes provincias, nunquam missi, nusquam fixi, nusquam stantes. Alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant ; alii fimbrias et phylacteria sua magnificant, alii parentes vel consanguineos suos in illa vel in illa regione se audisse vivere et ad eos pergere mentiuntur et omnes petunt, omnes exigunt aut sumptus lucrosae egestatis aut simulatae pretium sanctitatis. » Nonnulli etiam criniti vagabantur, « venalem circumferentes hypocrisim, timentes ne vilior babeatur tonsa sanctitas quam comata, ut videlicet qui eos videt, antiquos illos viros quos legimus, cogitet Samuelem et ceteros qui non tondebantur. » (7)

Quae vitia nemini tam quam Augustino stomachum movebant. At non eo minus monachorum institutio cara fiebat. Ratum enim habebat profitebaturque « non omnem hominem esse fictum sed omnem professionem habere fictas personas. » Quam igitur illi Africanorum monachorum vitia parva et pauca videbantur, cum ex epistolis (8) amici Hieronymi perspiceret quibus vitiis aliarum regionum monachi et praesertim virgines indulgerent !

Ut plane modum rationemque cognoscamus quibus Christianis in his se haberent quae ad Ecclesiam pertinebant, reliquum est ut perlustremus ritus et cerimonias quibus suam Christiani religionem profitebantur exercitationesque per quas clerici Christianos bonis moribus sacrisque ritibus instituebant. Pauci primum ritus erant quibus Christiani constringebantur. Animadvertit merito Augustinus « Dominum nostrum Jesum Christum leni jugo suo nos subdidisse et sarcinae levi : unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis societatem novi populi colligavisse, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, com-

(1) *Act Apost.* IV, 31, 35. — (2) S. 356. — (3) S. 244. — (4) Ibid. Ep. 220. *Cont. Faust. Manich* V. 15. — (5) In Ps. 132 n. 3. — (6) In Ps. 136 n. 9. Cf. 211 — (7) *De op. monach.* c. 28, Id. c. 31. — (8) Praesertim. ex. Ep. 22, Ep. 54.

municatio corporis et sanguinis ipsius et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur, exceptis eis quae servitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum onerabant. » (1) Neque eaedem in singulis locis cerimoniae observabantur sed eae tantum « quae Apostolorum aùctoritate traditae intelligebantur, vel plenariis conciliis commendata atque statuta retinebantur, ... sicuti quod Domini passio et resurrectio et ascensio in caelum et adventus de caelo spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrantur ; alia vero quae per loca terrarum regionesque variantur,... liberas habent observationes. Quod enim neque contra fidem neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum » (2) Preces etiam quae inter sacra adhibentur non certae sunt, ita ut Africana concilia episcopis praecipiant ne novas prius formulas in sacris adhibeant, quam doctis sapientibusque viris aestimandas ostenderint. (3)

Cum, Ecclesiae pace data, cultus aperte palamque agi coeptus est, exstructae multae magnaeque basilicae ex aere Christianorum. Augustinus inter bona opera recenset Ecclesiarum exstructionem ; hoc Christianos persuasum habuisse intelligitur ex antiquarum basilicarum mole magnificentiaque, quarum ruinae nostra aetate eruuntur. (4) Pleraeque, ut ait Augustinus, (5) oblongam habent quadraturam lateribus longioribus, brevioribus frontibus ; erant quarum latera ducentos passus et frontes centum et viginti patebant.

In ecclesiam ingressus per baptismum dabatur, quo Christianorum corpori pagani seu infideles aggregabantur. Sed, adultis qui christiani fieri volebant, antequam ad baptismum accederent, exspectandum erat dum, probata fide, religionis preces et dogmata edidicerint. Per id tempus *Catechumeni* dicebantur ; certam sedem in Ecclesia obtinebant ; sermones audiebant, sed non omnibus cerimoniis adesse permittebantur. (6) Illud tamen exspectationis tempus multi catechumeni ultro protrahebant. Nonnulli, sicut olim Augustinus etsi erant a pueris in numero catechumenorum ascripti, quo licentius per libidines vitam, amoto christiano freno, ducerent, non se baptismo offerebant, nisi quam maxime sero ; cum enim persuasum haberent nullo sacramento tutius aut plenius quam baptismo peccata tolli, tantum solliciti erant ut baptismo ante mortem initiarentur. Itaque cum morbus instaret, aut clades accideret, ad baptiste-

(1) Epist 54 n. 1. — (2) Id. — (3) H. Conc. t. II, 1065 et 1198. — (4) De hac re V. *La Basilique de Damous-El Karita, à Carthage*, par le P. A. Delattre. *Recueil de la Société Arch. de Constantine*, XXVI. p. 186 et : *Les ruines de la Basilica Majorum*, par Pillet. *Congrès scientifique des Cath., Sciences religieuses, p. 158*. — (5) Aug. *Quaest. in Hept.* II, qu. 177, n. 5. — (6) « Post sermonem fit missa catechumenorum, manebunt fideles. S. 49, c. 8, Ep. 126.

rium undique concurrebatur. (1) Ita egerant imperatores Constantinus, Constantius et multi alii praesertim nobiles. Quas dilationes cum aegre episcopi ferrent, saepe catechumenos hortabantur (2) ut ad baptismum accederent, saltem propinquante Pascha.

Eo enim tempore (3) praesertim, et, in Africa, ad festum Epiphaniae nomen catechumeni in baptismum dabant. Deinde *Competentes* vocabantur et apud eos peculiares sermones habebantur de nova suscipienda vita, precesque et fidei symbolum tradebantur, quae sine scriptis sed sola memoria retenta, aliquot interjectis diebus, reddenda, ut aiebant, erant. Interim piis operibus exercebantur et pridie Paschae admissis catechumenis baptismus conferebatur, qui deinde per octo dies *Infantes* vocabantur albisque vestibus induebantur.

Baptizandorum infantium usum ea aetate jampridem invaluisse testes habemus Cyprianum (5) et Augustinum, qui non semel (6) de parvulis ab utero matris oblatis loquitur.

Cum baptismo Eucharistiae sacramentum dabatur et saepe episcopi catechumenos ad nomina danda hortantur, ut Christi carne imprimis vesci possint. (7) Is jampridem in Africanam Ecclesiam mos receptus erat ut quotidie Eucharistia susciperetur. (8) Non deerant tamen, quibus ille mos non placebat et qui censebant « eligendos esse dies quibus purius homo continentiusque vivit ut ad tantum sacramentum dignus accederet » ; alii contra ducebant « unumquemque auctoritate antistitis ab altari removendum ad agendam poenitentiam et eadem auctoritate reconciliandum. » (9) Augustini vero sententia erat « facere debere unumquemque, quod secundum fidem suam crederet esse faciendum. » Ipse vero ab sumentibus Eucharistiam poscebat (11) « ut jejuni (12) essent corporisque et animae castitatem servavissent. » Idem auditores ita vivere optabat ut ab altari non separarentur. (14) Nusquam autem queritur quod sese ab Eucharistia abstineant, sed saepius orat ut ab ea indigni se separari patiantur. Non mirum si cum tam familiariter Eucharistia Christiani uterentur, ea cataplasmatis loco uti non dubitarent. (15)

Ad Eucharistiam conficiendam aut accipiendam Christiani in Ecclesias congregantur. Haec congregatio seu Missa ubique singulis dominicis diebus habetur, in aliquibus locis Martyrum quoque festis, quae per hebdomadem celebrantur; « alibi, ait Augustinus, nullus dies praetermittitur, quo non offeratur, alibi

(1) « Sitifensis civitas gravissimo terrae motu concussa est... et ibi baptizata fere duo millia hominum. » S. 20. 1. et S. *de Urbis excidio* n. 7. « Baptismum extorquebat quisque a quo poterat » et Epist. 228 n. 8. — (2) S. 20. S. 132. — (3) S. 210. 1. — (4) SS. 56, 59, 112, 116. — (5) Ep. 64 c. 2. — (6) SS. 165, 176, 183, 294. — (7) S. 132, 1. — (8) S. Cyp. *De Orat.* ch. XVIII. — (9) S, 56, n. 10. S. 57. n. 7. S. 58, n. 5. S. 112, n. 4. S. 59, n. 13. S. 227, n. 1. — (10) Ep. 54, n. 4. — (11) Ibid. — (12) Ibid. — (13) S. 132, n. 4. — (14) S. 351, n. 7. — (15) *Contra secund. Juliani responsum*, l. 3, ch. 160.

sabbato tantum et dominico, alibi tantum dominico. (1) » In Africa, saltem Hippone celebrandae quotidie Missae mos servatus fuisse videtur : Augustinus enim interdum per quinque dies continuos (2) sermonem facit sicque Catechumenos alloquitur : « Oratio quotidie dicenda vobis est, cum batizati fueritis. In Ecclesia enim ad altare Dei quotidie dicitur ista dominica oratio et audiunt illam fideles. » (3)

Sed non tota in conficienda Eucharistia Missa insumitur : praeterea, auctore Augustino, cantatur, legitur, disputatur « aut antistes clara voce deprecatur, aut communis oratio voce diaconi indicitur. » (4) Nuper Carthagine morem esse coepisse Augustinus testatur « ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo, quod fuisset oblatum. » (5) In ceteris cerimoniis hymni et psalmi canebantur, aliquando etiam « legebatur alternatim et psallebatur. » (6) Sed « de hymnis et canticis varia, ait Augustinus, consuetudo erat, et pleraque in Africa Ecclesiae membra pigriora erant ita ut Donatistae Catholicos reprehenderent, quod sobrie psallerent in ecclesiis divina cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum quasi ad tubas exhortationis inflammarent. » De modo autem cantandi inter Catholicos recepto, non plura ab Augustino accepimus. Confessus est, tamen, Mediolanensis Ecclesiae cantu se valde delectatum fuisse « Quantum, ait, flevi in hymnis et canticis tuis (Domine) suave sonantis Ecclesiae commotus acriter ! Voces illae influebant auribus meis et eliquebatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum eis. » (8) Tanta erat etiam audientis hos cantus episcopi voluptas, ut ab Ecclesia eos removeri fere voluisset Athanasiique Alexandrini episcopi morem recipi « qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. (9) Verumtamen, ait, cum reminiscor lacrimas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiae tuae in primordiis recuperatae fidei meae et nunc ipsum quod moveor non cantu sed rebus quae cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. »

Lectiones autem in ecclesiis recitandae plerumque ex sacris seu canonicis scripturis sumuntur : interdum tamen conciliorum decreta, (10) aut libelli de miraculis (11), aut Martyrum acta (12) leguntur. Scripturarum sacrarum canon, ut aiebant, in Africano concilio, quod Hippone anno 393, est habitum, consultis Ecclesiis transmarinis, institutus est ; attamen et inter Christianos

(1) Ep. 54 n 2. — (2) *Tract. in Joan.* 19, 20, 21, 22, 22 — (3) S. 58, n 12. — (4) Ep. 55, n 34. — (5) *Retract* II, 11. — (6) Ep. 29, n 11. — (7) Ep. 54, n 34. — (8) *Conf.* IX, 6. — (9) Id. X, 33 — (10) En. in. Ps. 36, n 3. — (11) S. 322. S. 324. S. 94. S. 286. — (12) S. 302. S. 273, n. 2 n. 6. S. 276, n 1.

reconditi seu apocryphi libri, *Pauli Apocalypsis*, (1) *Moysis secreta* (2), *quaedam Christi orationes* circumferebantur. Loca vero Scripturarum non ordine certo, ut nunc assolet, recitabantur. (3) Itaque Augustinus saepe ea loca legenda curabat, quae ad sermonem habendum referebantur ; (4) ipse aliquando in cathedra inter contionandum legebat, quae necessaria erant. Quaedam tamen lectiones quotannis certis diebus recitandae erant ; innuit Augustinus per Paschalia festa quatuor Evangelia de Christi resurrectione legi (5) solita : « Nunc, ait, interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certae ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quae ita sunt annuae ut aliae esse non possint. » (6)

Quo vero ordine sibi cantus et lectiones succedant sic aperte Augustinus declarat : « Primam lectionem audivimus Apostoli «(*Fidelis sermo etc.*) Deinde cantavimus Psalmum « *Venite adoremus et prosternamur ei.* » Post haec evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit. Has tres lectiones pertractemus dicentes pauca de singulis. » (7)

Ut ex his verbis comperitur, lectiones sermo sequitur cum quibus stricte jungitur, quippe qui in Scripturis sacris interpretandis versetur. Orientis jampridem is erat usus ut sive ab presbyteris sive ab Episcopis contio haberetur ; temporibus etiam Augustini in eadem Missa presbyteri et episcopus (8) sermocinabantur. In Occidentis partibus diu praedicandi munus episcoporum proprium fuit. Hippone primus presbyter Augustinus, jubente Valerio episcopo, in Ecclesia verba fecit ; quod episcopi aegre tulerunt. (9) Dein per totam Africam sensim ille mos receptus est, sed nondum in Italiam, cum Caelestinus Papa Provinciae episcopos reprehendat quod presbyteros praedicare sinunt ; (10) sed parum valuit Caelestini reprehensio ut ex Vasensis concilii decretis perspici potest : « Hoc etiam, ait enim concilium, pro aedificatione omnium Ecclesiarum et pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus, sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem. » (11)

Interpretandarum vero Scripturarum modi multi erant quos omnes ab Orientalibus Ecclesiis latina Ecclesia acceperat. Alexandriae primum Scripturarum continua et publica interpretatio institui coepta erat ; non mirum igitur si ratio, quae ea aetate in poetis praelegendis adhibebatur, in illa interpretatione invenitur. Judaeus enim Philo, qui inter Graecos populos primus sacros suae gentis libros exponendos interpretandosque suscepit,

(1) In Joan. Tr. 97 n 8 — (2) Ep. 158 n 6. — (3) S. 362 n 1. — (4) Ep. 23 n 3. S 37 n 1. — (5) S. 232 n 1. S. 239 n 1. — (6) *Prolog. in Epistolam Joannis* — (7) S 176 n 1. — (8) « Hic [Jerusalem] consuetudo sic est, ut de omnibus presbiteris qui sedent, quanti volunt praedicent et post illos omnes praedicat episcopus. » *Peregrinatio Silviae*, p. 81. — (9) Possid. *Vit. Aug.* c. V. — (10) S. P. Epist, Jaffé, 381. — (11) Vasens. concil. ann. 529 can. 2.

ea praelegendi ratione usus erat (1), qua olim Pergamae primum grammatici, dein philosophi Stoici. Sub rebus igitur narratis figuras inquirit, a quibus bene vivendi praecepta duci possint eoque pacto scriptores omnes virtutum praecones fiant. Sed hanc rationem, quam Philo ea mente instituerat, ut Judaeos libros ad graecorum rhetorum philosophorumque sententias accommodaret, Origines adhibuit non solum ut sacros libros contra paganorum accusationes Judaeorumque querelas defenderet, sed et ut Christi doctrinam tueretur atque inde Christianis bene vivendi normam promeret : In Scripturis igitur tres sensus inesse docebat primum quem *litteralem* seu *historicum* vocabat, secundum quem *moralem,* tertium *spiritualem* seu *mysticum*, quo praecipue rebus sacris futuraeque vitae Christiani essent initiandi. (2) Itaque huic detegendo exponendoque maximam operam contulit, adeo ut non modo ab Hieronymo sed et ab Augustino sit propter nimium allegoriae studium reprehensus. (3)

Contra Alexandrinos interpretes Antiochena schola stetit, cui majori curae *litteralis* quam *mysticus* sensus erat. Hujus quamvis praestantissimi magistri Joannes Chrysostomus, et Theodoretus Cyrensis fuissent, Alexandrinos tamen potius Occidentales scriptores ant praedicatores fere omnes, si Hieronymum excipis, sunt imitati. Quorum rationem institutaque primus in nostras regiones Pictaviensis Hilarius attulit, sed Ambrosius Mediolanensis episcopus maxime diffudit et velut publica fecit. Hunc Augustinus est secutus. Nemo unquam sacros libros pluris fecit; hos nocturna diurnaque manu, ut ita dicam, ad diem supremum versavit, legit, meditatus est, ita ut totos memoria teneret. Itaque ad omnes casus eorum loca, aut verba opportune et importune saepe usque ad satietatem refert, coram populo exponit ; contra Manichaeos, Paganos et si quid vel minimum in his notant, defendit : cum amico etiam Hieronymo in certamen venire non dubitat, propterea quod ille Epistolam Pauli ad Galatas interpretans, Petrum Paulumque Antiochiae personas fictas ad Christianos contra Judaeorum accusationes confirmandos gessisse opinatus erat. (4) Quamvis minime hebraeis litteris et vix graecis eruditus esset, quarum scientiam necessariam ad Scripturas pertractandas sentiebat, multos libros et innumera loca Scripturae est interpretatus, ita ut inter praestantissimos cum Hieronymo occidentales interpretes habeatur.

Cum nullus publicus in Occidente Scripturarum codex inveniretur, optimis quos habebat, collatione facta, utebatur, sed in primis *Italam* commendabat : « In ipsis autem, ait, interpretationibus *Itala* ceteris praeferatur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae. Et latinis quibuslibet emendandis graeci adhibean-

(1) J. Biet. *Essai historique et critique sur l'école Juive d'Alexandrie*, Paris, 1854. --- (2) *De princip.*, IV, 11. *Homil,* V *in Levit* --- (3) *De Gen ad litt.* VIII, 1. *De Civ. Dei,* XII I, 21. --- (4) Ep. 28. Ep. 40. Ep. 41. Ep. 73.

tur, in quibus *Septuaginta interpretum* excellit auctoritas. » (1) Quanta vero utilitas ex codicibus hebraeis duci posset, non plane Augustinus intellexit, nosque dolet eum inter illos recenseri qui Hieronymum a libris sacris ex hebraeo in latinum convertendis avocaverunt ; (2) arbitrabatur enim « etiamsi aliquid aliter in hebraeis exemplaribus inveniretur quam isti (*septuaginta interpretes*) posuerunt, cedendum esse divinae dispensationi quae per eos facta erat, ut libri, quos gens Judaea ceteris populis vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus ministra regis Ptolemaei potestate tanto ante proderentur. » (3)

In interpretatione vero varios Scripturarum sensus discernendos Augustinus volebat : « Omnis enim, aiebat, Scriptura, quae Testamentum Vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifaria traditur ; secundum historiam, secundum aetiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam. » (4) Ad haec omnia interpretem attendere Augustinus jubet sapientissimaque de his consilia edit : « Contra ignota Scripturae loca magnum, ait, remedium est linguarum cognitio. Et latinae quidem linguae homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent hebraea scilicet et graeca ; ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas. » Sed in allegoria maximum momentum esse putat. Itaque per allegoriam interpretandi modum saepe exponit, maxime tuetur plurimaque praecepta de allegoriis inveniendis aperiendisque tradit. « Verborum, ait, translatorum ambiguitates non mediocrem curam industriamque desiderant. Nam in principio cavendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias. Et ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus « *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* » Cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur. Neque ulla mors animae congruentius appellatur quam cum id etiam quod in ea bestiis antecellit, hoc est intelligentia, carni subjicitur sequendo litteram. » Non mirum igitur si *Doctrinae christianae* tertium fere totum librum in regulis tradendis de allegorica interpretatione insumit, si tam saepe ea adhibita libros qui maxime discrepare videntur in unum consentire demonstrat aut demonstrare conatur : non mirum si, cum tanti faceret, coram populis eum interpretandi modum adhibebat, quibus, ut vidimus, gratissimus erat ; non mirum si ex Scripturis sic intellectis tam uber a praedicatoribus seges tunc ducitur. Inde enim non modo sacrorum verborum explanationes, sed et querimoniae de male gestis, consilia et hortationes de rebus agendis, de vita moribusque instituendis profert.

(1) *De Doct. Christ.* II, 15. — (2) *De utilit. cred.* c. III. — (3) *De Doct. christ.* II, 11. — (4) Id. III, 5.

Christiani autem audiunt stantes, (1) viri a mulieribus seorsim. (2) Singuli dum praedicator loquitur, ore vultuque affectus, quibus perfunduntur, declarant aut acclamationibus oratoris sententias excipiunt; aliquando etiam qui intellexerunt, aliis exponunt; (3) sunt et qui sermones notis excipiunt. (4)

Sed quantumvis contionantium oratione delectentur, non ideo multi auditores semper conveniunt. Non semel (5) queritur Augustinus, dum loquitur sive Hippone, sive Carthagine, quod fideles pauci adstant, quia Munera eduntur. Quam multi etiam in has Ecclesias quas Augustinus ad audiendum verbum bonum aedificatas (6) dicebat, non pietate sed solemnitatis occasione adducti sermonem audire nolebant atque vix ingressi discedere cupiebant. (7) De aliis Augustinus dicere poterat : « Intra istos parietes domus suae curam gerunt, fabulis delectantur, ut ideo conveniant, cum quibus loquantur nugatoria, non cum quibus audiant utilia. » (8) Saepius tamen, credo, audientibus congratulari potest Augustinus, quod videt illos « ad intelligenda sacramenta prophetica omni alacri tate suspensos. » (9) « Gaudeo, inquit, tantam esse voluptatem in veritate verbi Dei, ut studium vestrum bonum in bono et de bono vincat studium insanorum qui sunt in amphitheatro. Num illi, si tam diu starent, adhuc spectarent? » (10) Merito gaudebat; nam quae ulla major victoria esse poterat quam ea qua vincebatur studium quo tunc ad theatrica spectacula incensi erant?

Sed et forte graviora christiani patiebantur, religionis causa ut ex jejunii servandi usu perspici potest. Meminit Augustinus se didicisse « homines continuum triduum vel amplius saepissime sine cibo ac potu ducere. » (11) Ii erant sane ascetae vel monachi, sed alii multi in mundo Christiani non dissimili modo agebant : « Quam multi homines, aiebat, (12) utriusque sexus jejuniis vel crebris vel quotidianis vel etiam incredibiliter continuatis corpus servituti subjicientes! » Plurimi Christiani in Africa « feria quarta et sexta hebdomadis jejunabant sub nocte tantum reficiendo corpus. » (13) At per Quadragesimam, ut aiebant, frequentiora (14) et ferme quotidiana jejunia fiebant. Itaque, veniente eo tempore, christianos praedicator monebat jejunium ita exercendum ut unusquisque cibo, potu et balneis (15) abstineret. Ad haec

(1) *De Catech. rud.* 13. Hic modus parum placet Augustino timenti ne propter defatigationem contionanti minus attendant, itaque quam brevissimos sermones habere studet. — (2) *De Civit Dei*, II, 28. — (3) S. 23, n 8. — (4) Poss. *Vit. Aug.* c. VII. Ep. 41, n 2. — (5) S. 51, n 2. S. 88, n 17. In Ps. 137, n 7. (6) *De Civit Dei*, II, n 6. — (7) *Tr. in Joan.* VIII, 13. S. 264, n 1. — (8) S. 31, n 2. — (9) In Ps. 103, n 1. — (10) In Ps. 147, n 21. — (11) De *Morib. Ecc.*, c. 23. — (12) *Cont. Faust. Manich.*, l. V, c. 9. — (13) De *Morib, Ecc.* c. 23. — (14) S. 210, n. 7. — (15) Ep. 54, n. 10.

quoque a conjugibus ex consuetudine temperandum (1) expressis verbis addit.

Haec jejunii disciplina satis facile ab omnibus Afris accepta videtur : nusquam enim Augustinum audimus querentem quod hac re peccent Christiani ; hos solum vituperat, quos « observatores Quadragesimae deliciosos potius quam religiosos dicit, exquirentes novas suavitates magis quam veteres concupiscentias castigantes, qui copiosis pretiosisque apparatibus fructuum diversorum quorumlibet obsoniorum varietates et sapores contendunt. » Sunt etiam, ait, qui vinum ita non bibunt ut aliorum expressione pomorum alios sibi liquores non salutis causa sed jucunditatis exquirant, tanquam non sit Quadragesima piae humilitatis observatio sed novae voluptatis occasio. » (2)

In jejunio tamen non summum bonum Augustinus ponebat, sed ad hoc praecipi id docebat, quo melius mores instituerentur, Itaque audientes monebat ut prae ceteris a litibus, a discordiis, ab ira et odio jejunarent ; quin etiam si bonis operibus jejunium obstaret, jejunium omittendum potius ducebat. « Dicant ergo christiani : Jejunemus et oremus et donemus... aut si duas res volunt dicere, ego eligo ut dicant : « Donemus et oremus quam jejunemus et non donemus. » (3)

Ad jejunium referri possunt illae poenae quae ob gravia quaedam peccata delinquentibus imponebantur. Sed jam Augustini tempore antiquus fervor multum tepuerat. Hoc itaque remedio, sine discrimine, uti non audebat Augustinus docebatque « abstinendum prudenter quandoque ne flagello pejor fiat qui caeditur. » (4) Imo erant et poenitentes qui suam condicionem libenter ferebant : « Abundant hic poenitentes, ait Augustinus, quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Discutio poenitentes, et male viventes invenio. Qui debet esse locus humilitatis fit locus iniquitatis » (5) Quam procul sunt ea tempora quibus per annos aut per totam vitam lacrimis et precibus christiani in gravia peccata lapsi, ad Ecclesiam januas provoluti veniam poscebant ! Eane erat religionis condicio ut quo latius ejus imperium eo debilius fieret !

Pias inter consuetudines hujus aetatis non est praetermittenda cura qua mortuorum corpora Christiani prosequebantur. Mortuo christiano super sepulcrum per triduum hymni canebantur et tertio die « redemptionis sacramentum offerebatur, (6) dein cum lamentationis pompa plangente familia et turba obsequentium praecedente et sequente (7) in memorias aut coemeteria corpora efferebantur quae circa aut intra ecclesiam patebant. (8)

(1) « Per alios dies adulteria, fornicationes omnesque illicitas corruptelas nolite contingere, per hos autem a conjugibus abstinete. » S. S. 205, n. 2. 206 et seq. (2) S. 210, n. 11. -- (3) S. 150, n. 7 -- (4) S. 7, n. 3. (5) S. 232, n. 8. -- (6) Ep. 158, n. 2. *Conf.* IX, c. 12. -- (7) In. Ps. 39, n. 25-102. -- (8) In basilica eruta ad *Damous El-Karita* plures quam 15,000 inscriptionum in sepulcris positarum effossa sunt. S. 361, n. 2.

Queritur aliquando Augustinus quod auratae marmorataeque memoriae nimis ornentur. In illa cura deprehendi quoque potuisset aliquod vestigium opinionis qua sentiebant veteres nihil miserius esse quam justa sepultura carens exanime corpus. Cum Christiana religio resurrectionem futuram imprimis affirmet, resurrectionisque fide sublata, « omnem intercidere doctrinam christianam » merito dicat Augustinus, (1) non deerant tamen Christiani qui de hac re dubitarent. Cum irrisione etiam, quae Paganis digna fuisset, quaerunt quis redierit ab inferis : « Quis inde surrexit ? Quis indicavit quid agatur apud inferos ? » (2) Inter eos etiam qui resurrectionem profitebantur, putabant tamen multi non tam facilem aut integram pro his futuram esse, quorum corpora insepulta jacerent aut passim dispersa essent. Itaque in clade Romana praesertim spectaculo tot insepultorum corporum offedebantur ut ex Augustini verbis responsisque constat : « At in tanta strage cadaverum nec sepeliri potuerunt ! Neque istud pia fides nimium reformidat tenens praedictum nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit. (3) ...Proinde, aiebat, omnia ista id est curatio funeris condicio sepulturae, pompa exsequiarum, magis sunt vivorum solatia quam subsidia mortuorum. » (4) Sed eadem cura, qua Africani, et aliarum regionum christiani tenebantur ut videtur ex libro quem rescribens ad Paulinum de cura pro mortuis gerenda Augustinus misit et ex antiquis inscriptionibus passim erutis. (5)

Artem christianam jampridem Romae Augustini tempore natam nemo hodie nescit. Ex iis quae ruinae supersunt et de quibus mentionem supra fecimus architecturam coli scimus ; de ceteris artibus raro mentionem Augustinus habet. Loquitur tamen de sacrificio Abraham et de apostolis Petro et Paulo cum Christo in parietibus (6) pictis. Ipse in basilica Hipponensi pictam lapidationem (7) martyris Stephani describit. Credebat tamen Augustinus cautionem adhibendam in picturis serendis exhibendisque, nam multi imperiti a paganitate recentes parum imaginum cultum ab idolorum cultu discernebant : Novi, aiebat, multos esse sepulcrorum et picturarum adoratores. » (8)

Jam vidimus aliquot ritibus vanas observationes misceri, sed aliae multae superstitiones abundabant. Ex his quaedam erant paganitatis in animis superstitis vestigia, aliae christianae doctrinae aut cultus depravatio.

Mirum videri potest si Christiani qui credunt mundum a Deo

(1) In Ps. 73, n. 25, S. 361, n. 6. -- (2) *De Civ. Dei*, I, n 12 : « Multa itaque Christianorum non texit, sed nullum eorum quisquam a caelo et terra separavit quam totam implet praescientia sui qui novit unde ressuscitet quod creavit. » --- (4) Ibid. --- (5, Vd. *Epigraphie chrétienne en Gaule et dans l'Afrique Romaine par Le Blant*, p. 51 et n· 13. --- (6) De *Consens. Evang*. I, 10. --- (7) S. 315, n 5. --- (8) *De Morib. Ecc. Cath.* c. XXXIV. c.

procreatum moderatumque res humanas e cursu siderum pendere putant. Attamen nulla tam vulgata inter imperitos doctosque Christianos opinio erat, ut conjici potest ex sexcentis Augustini locis qui nullam aliam superstitionem tam saepe impugnavit. « Sedent, ait, [docti] et computant sidera, intervalla, cursus, volubilitates, status, motus intendunt, describunt, conjiciunt. Docti, magni videntur. Totum hoc doctum et magnum, defensio peccati est : Eris adulter, quia sic habes Venerem ; eris homicida, quia sic habes Martem. » (2) Piget referre mille alia istiusmodi quae tam saepe in sermonibus occurrunt. (3) Ratione ergo siderum habita, multi dies et menses observare solebant atque dicentes audiebantur : « Non proficiscar hodie, quia posterus dies est, aut quia luna sic fertur, vel proficiscar ut prospera cedant, quia ita se habet positio siderum : Non agam hoc mense commercium quia illa stella mihi agit mensem. Non plantem hoc anno vineam quia bissextus est. » (4) Non dissimili ex causa calendas Januarias paganis mixti christiani « celebrationem strenarum agebant » (5) tempusque iisdem ludis et exercitationibus consumebant.

Christiani igitur ut siderum cursum momentaque cognoscerent, ad mathematicos genethliacosque accedebant, imo eorum nonnulli mathematici fiebant. (6) In hos vero eo magis Augustinus invehebatur, quo majore auctoritate apud christianos valebant Eorum igitur scientiam dictitabat incertam et vanam aut a daemonibus collatam, qua qui uterentur cum daemonibus fornicarentur. (7) Neque irisionem dedignabatur inter, contionandum illos ex nummis pro mendacio acceptis divites factos describens aut suae ipsos scientiae parum fidentes. (8) Haec tamen christiani non tacentes audiebant, sed Ecclesiam ipsam sideribus attendere objiciebant cum diem Paschae ex motu lunae statueret Magosque stella duce ab Oriente ad Christum natum venisse doceret.

Contra haec Augustinus quam saepissime et quo maximo studio poterat redarguebat, merito ratus parum expedire idola in templis paganorum everti, si in christianorum animis remanerent, (9) atque non tantum veram religionem sed et libertatem humanam siderum observatione penitus tolli.

Sed et religionem christianam quidam in superstitionem convertebant. Hos omittamus qui testem Deum saepissime jurabant, quorum maximus erat numerus, (10) et eos qui continuo

(1) In Ps. 140 n 9. — (2) In Ps 127 n 11. — (3) S. 9 n 17. S. 88 n 25. In Ps. 31. En 11 n 16. *Tr. in Joan.* VII, 11. — (4) Ep. 55 n 13. — (5) SS. 196, 197, 198. — (6) In Ps 61 n 23. — (7) *De doctr. Christ.* IIe 24. — (8) « Ipse ergo mathematicus si uxorem suam paulo petulantim viderit conversari aut aliquos alienos improbe attendere, aut fenestram crebro repetere nonne arripit, verberat ? Respondeat illi uxor : si potes, Venerem caede, non me. Nonne et ille respondebit ? Fatua, aliud est quod competit rectori, aliud quod profertur emptori. » In Ps. 140 n 9. (9) In Ps. 98. — (10) S. 307, n. 2.

cruce in fronte se signabant, (1) si qua ex causa pravescerent etiam in spectaculis. Omittamus et nonnullorum Christianorum consuetudinem qui Natali Joannis ad mare veniebant ibique se baptizabant ; (2) qui sortes de paginis evangelicis legebant (3) aut qui diebus octo post baptismum pede nudo terram tangere nefas ducebant : (4) illa tantum referre juvat quibus martyrum cultus inficiebatur. Jam diximus quantum Augustinus studeret adversus Paganos approbare Martyres ab Christianis aliter haberi ac deos ; sed error facilis, fateor, erat cernentibus quo cultu Africani Christiani martyres prosequerentur. Ad ecclesiam enim diebus festis escae, pultes, offae et vina ferebantur et convivia circa memorias martyrum agebantur. Ea consuetudo olim hac origine erat exorta, auctore Augustino : « Post persecutiones cum facta pace turbae gentilium in christianum nomen venire cupientes impediebantur, quod dies festos cum idolis suis solerent in abundantia epularum et ebrietate consumere, nec facile ab his perniciosissimis et tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere, visum fuerat episcopis, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos post eos, quos relinquebant, alios in honorem sanctorum martyrum vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu celebrarentur. » (5)

Sed haec sanctae epulae occasionem cito indecoris potationibus et commessationibus praebuerunt propter quas Episcopi Italici quam primum illas ex ecclesiis tollere studuerunt. At non res ita in Africa se habuit. Optaverunt concilia ut populi ab hujusmodi conviviis, quantum fieri posset, prohiberentur ; praecipere non ausa sunt. Attamen « tanta erat hujus mali pestilentia ut sanari non posse nisi auctoritate concilii » Augustinus arbitraretur. » (6) Ipse tamen primus Hippone rem aggressus, acri certamine commisso, tandem eloquentiae, vehementissimi studii et favoris ope, quem sibi conciliaverat, hac foeda labe ecclesiam suam expurgavit. (7)

At quam multae superstitiones infimae notae supererant ? Has brevitatis causa Augustini verbis innuere satis ducimus. « Ex eo genere sunt... aruspicum et augurum libri. Ad hoc genus pertinent etiam ligaturae atque remedia, quae medicorum quoque disciplina condemnat, sive in praecantationibus, sive in quibusdam notis, quos characteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis atque illigandis, vel etiam aptandis quodam modo non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas ; quae mitiore nomine physica vocant, ut quasi non superstitionem implicare, sed natura prodesse videantur, sicut sunt inaures in summo aurium singularum aut de struthionum ossibus ansulae in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, ut dextera manu sinistrum pollicem teneas.

(1) S. 27, n. 6, In Ps. 50, n. 1. --- (2) S. 196, n. 4. -- (3) Ep 55, n. 37. --- (4) Id. n. 35 -- (5) Ep. 29. De eadem re Vd. Greg. I, Epist 71. l. IX. --- (6) Ep. 22, n. 4. --- (7) Ibid,

His adjunguntur millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit ; atque illud quod lapidem calcant tanquam diremptorem amicitiae, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrit. Sed bellum est quod aliquando pueri vindicantur a canibus, nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem, qui medius intervenerit, ferire audeant, non impune, namque a vano remedio cito ille interdum percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa : limen calcare cum ante domum suam transit ; redire ad lectum si quis, dum se calceat, sternutaverit, redire domum, si procedens offenderit ; cum vestis a soricibus roditur, plus tremere suspicione futuri mali, quam praesens damnum dolere. » (2)

Haec facilius ridere quam tollere erat. Ex animis saepissime Augustinus est conatus exstirpare aliosque praedicatores monuit (3) ut ejusmodi superstitiones eradicarent. Num res illi bene cessit ? Non plane scio sed menti dubium subit cum christianos quosdam videmus superstitionum vanitate imbui « quanquam a parentibus, ab avis, et postrema usque gentis prole Christi jura perceperant, » (1) atque inter rura etiam nunc Arabes (2) aliquando iisdem superstitionibus laborantes inveniuntur.

Articulus II. -- De Republica.

Respublica cum Ecclesia stricte temporibus Augustini jungitur. Cum ex hujus sermonibus prior nobis descripta est, isti ad posteriorem illustrandam nobis multum collaturi videntur. At non ita res se habet. Praedicator in explanandis Scripturis versatus paucas occasiones rerum publicarum campum adeundi habet. Hae occasiones nusquam pauciores quam Hippone Regio, in ignobili Africae colonia occurrebant. Augustinus igitur vitae Christianae officia tractare poterat, quin in mentionem rei publicae incideret, neque illi eaedem Hippone circa imperatores agendae partes erant quae Mediolani Ambrosio et Joanni Chrysostomi Constantinopoli, neque Augustinus is erat qui rebus fere alienis (3) se implicaret. Ad publicas igitur res tam parum animum vertit ut vix de Gildone rebellante pauca verba obiter, de Heracliano imperium affectante nulla habuerit. Ea enim sententia erat ut verba declarant, « nihil interesse sub cujus imperio vivat homo moriturus, si illi qui imperant ad impia et iniqua (4)

(1) Ep. 230, n. 4. (2) Vd. *Géographie de l'Afrique chrétienne, Proconsulaire* (par Mgr Toulotte) p. 33. -- (3) Tertul. *Apol.* c. 38 : « Nec ulla magis res aliena quam publica. » -- (4) *De Civ. Dei*, l. V, c. 17.

non cogant. » Multum abest ut Augustini sententiae assentiamur, neque ipse unquam patriae labentis tam incuriosum se praebuit. At quid de rebus publicis ea aetate Hipponensibus diceret ? Num loqueretur de bellorum cladibus stragibusque, quibus res Romana, invadentibus barbaris, conflicta ferme jacebat ? Sed de his jam Pagani plura dictitabant, qui has calamitates christianae religioni crimini vertebant ?

Itaque de his cladibus vix quater aut quinquies Augustinus coram Hipponensibus verba fecisse videtur, atque ea mente praesertim, ut ea dilueret quae de hac re contra christianam religionem a Paganis objici solebant. Quae cuncta colligendo vix aspicere poterimus quid Christiani de imperio rebusque romanis sentirent, qua agendi ratione erga imperatores magistratusque se haberent.

Jampridem praeterierat tempus Apocalypseon et Sybillinorum librorum, neque jam Christiani ultionem expetebant « *contra Babylon magnam* (seu Romam), *illam matrem fornicationum et abominationum terrae*, (1) *mulierem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu.* » Adeo tam parum propter effusum sanguinem martyrum plectendam putabant, ut eorum ob reliquias sacras servandam persuasum haberent.

Non mirum ; abhinc ferme centum annis religio christiana cum imperio romano juncta eidem condicioni obnoxia videbatur. Siquidem evenerat quod fieri non posse arbitrabatur Tertullianus, Caesarem christianum esse. Christiani ergo qui etiam, saeviente persecutione, praecepta Christi et Apostoli de potestate colenda non obliti erant, (3) longe aberant ut ea obliviscerentur, cum bona ab imperatoribus acciperent.

Augustinus igitur audientes aut legentes expressioribus verbis non dubitabat monere hoc esse primum Christianis praeceptum ut ab defectione et seditione abstinerent : « Tolerare, aiebat, Christi famuli jubentur sive sunt reges, sive principes, sive judices, sive milites, sive provinciales, sive divites, sive pauperes, sive servi utriuslibet sexus pessimam etiam, si ita necesse est, flagitiosissimamque rempublicam, et in illa Angelorum quadam sanctissima atque augustissima curia caelestique republica, ubi Dei voluntas lex est, clarissimum sibi locum ista tolerantia comparare. » (4)

Etsi tolerandi semper sunt principes, non est tamen quamcumque rem imperantibus obteperandum ; observantiae modus est, quem audientibus Augustinus sic describit : « Aliquando injusti perveniunt ad honores saeculi ; cum pervenerunt et facti fuerint vel judices, vel reges, quia hoc facit Deus propter discipli-

(1) *Apoc.* XVII, 6-7. -- (2) « Jacet Petri corpus Romae, dicunt homines, jacet Pauli corpus Romae, Laurentii corpus Romae, aliorum sanctorum martyrum corpora jacent Romae et misera est Roma, et vastatur Roma, affligitur, conteritur, incenditur. S. 296, n. 6. -- (3) Matth. XXII, 21. *Ep. ad. Rom.* XXIII, n. 1. -- (4) *De civit. Dei*, II, c. 19.

nam plebis suae, propter disciplinam populi sui non potest fieri, nisi ut exhibeatur illis honor debitus potestati. Ordinavit enim sic Deus Ecclesiam suam ut omnis potestas ordinata in saeculo habeat honorem et aliquando a melioribus. Aliquando enim potestates bonae sunt et timent Deum, aliquando enim non timent Deum. Julianus exstitit infidelis imperator, exstitit apostata, iniquus idololatra, milites christiani servierunt imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in caelo erat. Si quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, praeponebant illi Deum; quando autem dicebat : Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant, distinguebant Dominum aeternum etiam domino temporali. » (1) His verbis in perpetuum doctrina christiana de civium officiis instituebatur, a seditione et a foeda servitute pariter remota.

Doctrinae vero, quae in religionis commodum potestatem exercendam tenet, Augustinum auctorem (2) non audeo dicere sed praestantissimum saltem praeconem. Satis igitur non esse ducebat eos qui rebus publicis praeponebantur de rebus terrenis sollicitos esse, sed et bonos subditorum mores curare debere. (3) Non sentiebat ideo christiana laude efferendam eam « administrationem quae hoc intentionis fine determinaretur, ut homines nullas iniquas molestias secundum carnem paterentur, quin ad se existimaret pertinere quo modo Deum verum colerent. » (4)

Ille qui maximum imperium obtinet, certe ea maxime lege tenetur, ut liquidis verbis profitetur Augustinus : « Neque enim ait, nos christianos quosdam imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes reipublicae domuerunt, vel inimicos cives adversus se insurgentes et cavere et opprimere potuerunt.... Sed felices eos dicimus si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt ; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt. » (5)

Huic rerum civilium gerendarum rationi adversari Paganos facile creditur, quippe quae imperatores non pateretur cuilibet religioni pares se praebere, sed contra praeciperet ut christianam prae ceteris promoverent. Illam eo minus praedicari ferebant, quod eis doctrina christiana rei publicae contraria videbatur quippe quae prohiberet ne ulli malum pro malo redderetur et percutienti alia praeberetur maxilla ; quo pacto Romani imperii,

(1) In Ps. 124 n 7. --- (2) Eamdem enim doctrinam Melito Sardensis episcopus coram imperatore Marco Aurelio Atonino proferebat, Vd. Cureton. *Spicilegium Syriacum*, et Renan, *Les origines du Christianisme: Marc-Aurèle*, p. 186. --- (3) Ep. 138 n 14. --- (4) Ep. 155 n 10. --- (5) *De Civit. Dei*, VI, 24.

depraedatoribus mala belli jure non reponenda (1) fuissent. Ad haec respondebat Augustinus aliquot praestantes viros antiquos ad rem publicam gerendam iisdem virtutibus valuisse institutaque docuisse quae imprimis religio praecipiebat, (2) atque hanc, cum singulos privatos virtutibus, quae paucorum olim fuissent, ornare studeret, ideo aptissimos rei publicae gerendae cives efficere : « Proinde, (3) aiebat, qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem quales doctrina Christi milites esse jussit, dent tales provinciales, tales dominos, tales servos, tales reges.., quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam reipublicae, imo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae. »

Cum ea esset opinione imbutus, non mirandum quod Augustinus muneribus publicis christianos censebat operam navare debere ; quin etiam eos « quanto essent fideliores atque meliores, tanto fidelius ac melius rempublicam administraturos » sentiebat. (4) Consiliis hujus modi adeo christiani obsequebantur, ut etiam provinciarum sacerdotia ambirent, quod Augustino et Ecclesiae parum placebat. (5)

Cum his principiis doctrinaque consentiebat ea aetate Christianorum mos agendi. Cum tam saepe in Africa exercituum duces aut magistratus rebellionem molirentur, nunquam e partibus rebellantium Gildonis, Attali aut Heracliani catholici steterunt ; non idcirco leges actaque omnia imperatorum probabant. Carthagine jam vidimus auditores Augustini acclamantes, ut in Africa sicut Romae idola penitus frangerentur. (6) Attamen, episcopis suadentibus, ab commotione temperatum fuit et arbitrio imperatoris aut magistratuum mandatis res permissa est. At non tum semel episcopi populum placaverunt. « Hortamur vos, aiebat aliquando Augustinus, obsecramur vos per Dominum et ejus mansuetudinem ut mansuete vivatis, pacifice vivatis, potestates facere quod ad illas pertinet, unde Deo et majoribus suis redditurae sunt rationem, pacifice permittatis, quotiescumque petendum est, honorifice et pacifice petatis ; cum his, qui mala faciunt et infeliciter atque inordinate saeviunt, non vos misceatis, non talibus factis vel spectandis interesse cupiatis, sed quantum potestis, quisque in domo sua et in vicinia sua, cum eo cum quo habet alicujus necessitudinis et caritatis vinculum moneatis, suadeatis, doceatis, corripiatis (7) Sed parum est, aiebat, ut dixi, parum est ut non faciatis, parum est ut doleatis, nisi etiam ea quae ad populi pertinent potestatem pro viribus vestris prohibeatis. Non dico, fratres, quia potest aliquis vestrum exire et populum prohibere, hoc nec nos possumus ; sed unusquisque in domo sua filium

(1) Ep. 138 n 9. --- (2) Ibid. --- (3) Ibid. n 15. --- (4) Ep. 151 n 14. --- (5) Ut ex Eliberitani concilii decretis patet. Hard. *Conc.* T. I, p. 696 : Ea de re Vd. L. Duchesne : *Le Concile d'Elvire et les flamines chrétiens* in *Mélanges -- L. Renier*. S. 24 n 6. -- (7) S. 303, n. 21.

suum, servum suum, amicum suum, vicinum suum, clientem suum, minorem suum. Agite cum illis, ut ista non faciant, quibus potestis, suadete. » (1)

Cum igitur conflictari imperium barbarorum incursationibus viderunt Christiani, remedia quae ab illis pendebant, malis afferre conati sunt : in tria monasteria Bethleem Hieronymus reliquias quam benignissime excepit, quae ex Urbis naufragio emerserant; Augustinus in Africa non minus benignum Romanis appellentibus se praebuit Hipponensesque laicos et clericos magnopere hortatus est quo amplius ad sublevandos pauperes elargirentur, quorum numerus hujus aetatis cladibus augebatur : « Ne vos, ait, vincat et pigros faciat contritio hujus mundi. Non solum ergo non debetis minus facere opera misericordiae, sed etiam debetis amplius quam soletis. » (2)

Postea censebit clericos non licere, propinquantibus barbaris, fugere, sed cum plebe manere debere ut ejusdem condicionis socii et periculorum participes sint. Neque unquam, cum christianis objicitur quod ipsi sint causae cur tot stragibus imperium opprimatur, imbecillitatem, mollitiem malasque artes imperatoris Honorii opponit et inde romanis rebus tam male cedere ostendit. Imo ultimum propugnatorem jam prope eversis rebus Augustinus servat (3) dum Bonifacium a monachorum vita removet.

Num igitur Romae clades imperiique excidium ei moestitiam attulerit inquirendum non ducimus ; res verbaque liquido declarant. Non is erat qui Romam, cujus imperium virtutibus partum intellexerat, aequo animo expugnatam ac prope eversam audiret. Raro et pauca profecto verba palam coram populis ea de re habuit, siquidem timebat ne Paganis novam exagitandae religionis occasionem praeberet quasi ea imperio Romano detrimento fuisset ; sed ex epistolis facile perspici potest quantum dolorem ex tanta malorum strage ceperit : « Litterae tuae, ait Victoriano presbytero, impleverunt grandi dolore cor nostrum, quibus petisti ut prolixo opere aliqua responderem, cum talibus malis magis prolixi gemitus et fletus, quam prolixi libri debeantur. » (4) Itaque quamdam Italicam increpat quod « ea quae illic in Urbe vel circa Urbem geruntur non insinuare curavit, ut certum fieret quod incertae famae credere nolebat.... Absit, ait, ut recusemus audire quae amara et tristia sunt erga carissimos nostros. » (5) Cum vero omnia novit, vix a lacrimis temperare potest, neque jam moerorem tam gravem obtegere curat : « Horrenda nobis, inquit, nuntiata sunt, strages facta, incendia, rapinae, interfectiones, excruciationes hominum. Verum est, multa audivimus, omnia gemuimus, saepe flevimus, vix consolati sumus. » (6) Attamen ex eorum numero non fuit qui de

(1) Ibid. n. 19. -- (2) Ep. 122. -- (3) « Nempe omnes actuspublicos, qui bus occupatus eras, relinquere cupiebas et te in otium sanctumum conferre... Ut autem non faceres quid te revocavit nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi ecclesiis quod agebas. » Ep. 220. -- (4) Ep 111 n 1. -- (5) Ep. 99. -- (6) *De Urbis excidio serm.* c 11.

imperio Romano desperaverunt : « Quanquam, aiebat, Romanum imperium afflictum est potius quam mutatum ; quod et aliis ante Christi nomen temporibus ei contigit ; et ab illa est afflictione recreatum, quod nec istis temporibus desperandum. Quis enim de hac re novit voluntatem Dei ? » (1)

Interim igitur non id omittit quod Ecclesiae utilitas postulat : sibi successorem cooptandum curat et religionis causam ut tueantur aut promoveant imperatores aut eorum magistratus precatur.

Nollet, ut vidimus, (2) in his afflictationibus esse Africanam Ecclesiam constitutam ut terrenae ullius potestatis indigeret auxilio : « Sed quia, sicut Apostolus dixit, *non est potestas, nisi a Deo*, (3) procul dubio cum per magistratus, sincerissimos Catholicae matris filios, eidem subvenitur, auxilium Ecclesiae in nomine Domini est ; » non igitur dubitat opem Olympii officiorum magistri contra Paganos et Donati Africae proconsulis contra Donatistas poscere. Quam opem episcopis ultro ipsi imperatores aliquando obtulerunt ut ex epistola Honorii et Theodosii secundi ad Aurelium et Augustinum (4) constat ; et episcopis legum severitas saepius temperanda quam augenda fuit : « Quaesumus, aiebat Donato Augustinus, ut cum Ecclesiae causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris. Proinde si occidendos in his sceleribus homines putaveritis, deterrebitis nos ne per operam nostram ad vestrum judicium aliquid tale perveniat ; quo comperto, illi in nostram perniciem licentiore audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta et indicta, ut etiam occidi ab eis magis eligamus, quam eos occidendos vestris judiciis ingeramus. » (5) Propter haec miranda verba votis episcoporum hujus aetatis aut posterioris venia detur si qua sint, quae crudelitatem redolere dicta sunt. Meminerimus quoque Augustinum non minus re quam verbis mansuetum se praebuisse, ut supra vidimus, (6) eoque insolitae mansuetudinis venisse, ut Marcellinum deprecaretur, ut in inquisitione scelerum verberum poenas tantum adhiberet, « eo coercitionis modo contentus qui a magistris artium liberalium et ab ipsis parentibus solet adhiberi. » (7)

Ita etiam inter episcopos mos pro reis deprecandi invaluerat ut, ex Paganorum confesso, « episcopum fas non esset, nisi salutem hominibus impertire et pro statu meliore causis adesse. » (8) Non modo rem Augustinus non negat, sed et has partes defendit contra Macedonium Africae vicarium querentem, quod episcopi apud judices nimium intercedant. (9)

Non solum tamen amovendorum suppliciorum causa episcopi ad magistratus accedebant, sed quotiescumque et quoquo modo populo subveniendum erat. Epistolas legimus quibus Augustinus

(1) *De Civit Dei*, IV, 7. --- (2) Ep. 100, n. 1. --- (3) *Id. Rom.* XIII, 1. (4) Ep. 202. --- (5) Ep. 100, n. 2. --- (6) Ep. 66, 1. Ep. 132, n. 2. Ep. 134, n. 2. Ep. 139. --- (7) Ep. 133. n. 2. --- (8) Ep. 90. --- (9) Ep. 152. Ep. 153.

quemdam Romulum precatur, ne a colonis « miseris et egenis hominibus, qui vix semel reddere sufficiunt » bis exigatur, et idem his verbis Hipponenses alloquitur : « Vestrae necessitates nos cogunt venire quo nolumus, observare ante ostium, intrantibus dignis et indignis, exspectare, nuntiari, vix aliquando admitti, ferre humilitates, rogare, aliquando impetrare, aliquando tristes abscedere. Quis vellet haec pati nisi cogeremur? » (1) Quibus commerciis inter se jungerentur alii magistratus clericique, quis magistratibus provinciarum in eligendis episcopis locus, aut quae pars clericis contingeret in curiis non cognoscere Augustini sermones sinunt. Vix semel aut iterum in congregatione christianorum praepositos plebi eminentius sedere dicit, aut de provincialibus loquitur qui annonam militibus distribuebant sed minora haec sunt quam ut animum nobis occupent.

Articulus III. — De Spectaculis

Spectacula saepe impugnavit Augustinus, sed antequam impugnaret, his multum est delectatus. Ipsum enim confitentem et dolentem sic audimus : « Rapiebant me, ait, spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum et fomitibus ignis mei » (2) Eo studio tamen parum diu exarsit, et, antequam Christianus factus sit, cum jam rhetoricam Carthagine doceret, adeo spectacula fastidire inceperat ut ipse discipulos amicumque Alypium magna cum diligentia amoveret.

In Africa autem non ita theatricae rei studium exstinctum fuit et cum eo est Augustinus reversus, ferme omnia eadem florescere spectacula vidit, quae antea. Passim, in civitatibus praesertim, theatra erant. (4) In his interdum tragicae fabulae exhibebantur; narrat enim Augustinus ibi Aeneae ad inferos descensionem (5) et Deorum probra (6) videri. Sed praesertim pantomimi et mimi agebantur quorum mentionem Augustinus saepius habet. (7) Hi versabantur maxime in ridendis Deorum amoribus. (8) In amphitheatris vero circisque aut equi currentes agitabantur, aut venationes in quibus venatores bestias, ursos aut leones lacessebant et forte pugnae navales simulabantur, (9) Ad haec addenda sunt choraulae, (10) funambuli (11) et spectaculi nescio quod aliud genus, pro quo casae in vicis fiebant. (12) Gladiatoria vero munera nusquam tunc agi apparet.

(1) Serm. 302, n. 17. — (2) *Conf.* III. 2. — (3) Id. VI, 7. — (4) Multae erutae sunt theatrorum ruinae Vid. *Société Archéologique de Constantine.* I, 25, IV, 65. IV, 80. *Bulletin archéologique du Comité des Travaux historiques, 1891*, 32-35, Toutain : *Le théâtre Romain de Simittu.* in *Mélanges de l'Ecole Française de Rome*, XIIe année, Décembre 1891. — (5) S. 241, n. 5. — (6) Ep. 138, n 18. — (7) S. 198. — (8) Ep. 91, n. 5. *De Civit Dei*, VII, 26 et s. — (9) In Ps. 39, n. 9. In Ps. 53 n. 10. S. 22 n. 20. S. 9 n. 13. S. 128 n. 9. — (10) In Ps. 96, n. 10. — (11) In Ps. 39 n. 9. — (12) In Ps. 80 n. 2.

Ad haec spectacula flagranti cum studio ab universis concurrebatur. Dum enim sive Carthagine, sive Hippone, sive Bullae Augustinus loquitur, saepissime dolet quod implentur theatra et amphitheatra. Saepe etiam contionem habens queritur quod, deserta Ecclesia, Christiani ad theatra concurrunt, ibique numero ita Paganis praestant ut nisi ad theatra accederent, Pagani « suam paucitatem erubescerent discederentque. » (1) Sed adeo omnium animos id scenicorum ludorum studium occupaverat « ut etiam modo, ait Augustinus, (quod incredibile forsitan erit, si a nostris posteris audietur) Romana urbe vastata, quos pestilentia ita possedit atque inde fugientes Carthaginem pervenire potuerunt, in theatris quotidie certatim pro histrionibus insanirent. O mentes amentes, addit, quis est hic tantus, non error, sed furor ut, exitium vestrum (sicut audivimus) plangentibus orientalibus populis et maximis civitatibus in remotis terris, publicum luctum moeroremque ducentibus, vos theatra quaereretis, intraretis, impleretis et multo insaniora, quam fuerant antea, faceretis. » (2) Hinc facile intelligitur cur Imperatores sine damno periculoque potestatis suae paganorum festa tolli posse putarent ; at spectacula non item quae cum illis festis jungebantur.

Non mirum si cum ita animi afficerentur, magni facerent omnia quae ad theatricas res pertinebant, Aurigae, venatores et mimi suos quisque fautores aut laudatores habebant, qui de his perpetuos sermones ducebant : « Amator aurigae, aiebat Augustinus, quacumque transit, loquitur de illo, ut eum cum illo ament et ceteri. » Inde contentiones et clamores laudantium suum aurigam aut venatorem, et populi per gradus victoribus vestes postulantis, (3) et divites, qui fastidiunt pauperem quia non clamat populus, ut accipiat pauper, etiam res suas perdere volunt donando scenicis histrionibus, aurigi. (4) Sed ejusmodi largitiones divitibus semper faciles erant. Vidimus nuper L. Postumium Felicem Celerinum (5) gladiatoria munera civibus Hipponensibus per triduum edidisse ; Augustini etiam temporibus, Romanianus (6) ursorum munera Thagastae et nunquam ibi antea visa spectacula civibus obtulerat. Ex Symmachi (7) quoque epistolis perspici potest, quam rerum suarum optimates parum parci essent cum de edendis muneribus ageretur.

Facile nunc intellegi potest, cur Augustinus in scenica invectus sit. Haec enim primum in deorum honorem instituta (8), inter festos deorum dies edi solebant et quasi paganorum sacra habebantur. His igitur, qui aderant, deorum cultui quasi vacabant.

(1) In Ps. 88, n. 17, — (2) *De Civ, Dei.* I, 32-33. — (3) De his S. 128 n 9. In Ps. 136 n 9. In Ps. 149. Ep. 138 n 19. — (4) In Ps. 149 n 10. — (5) C. J. L. VIII, 5276. — (6) *Cont. Acad.* I, 2. — (7) Ep. IX, 126, V, 59, IV, 72. — (8) *De Civ. D.* VI, 11.

Praeterea non indignari non poterat Augustinus cum in his spectaculis, tot divitias consumi videbat, quae ad sublevandos pauperes conferri potuissent. Sed eo praesertim periculo movebatur in quo versatos christianorum mores videbat, qui tam saepe ad spectacula currebant. Ibi enim « per meretricum scortantium ministeria turpissima vitiorum exempla incitamentaque praebebantur. Ibi, aiebat, daemonia delectantur canticis vanitatis, delectantur nugatorio spectaculo et turpidinibus variis theatrorum, insania circi, crudelitate amphitheatri, certaminibus animosis eorum qui pro pestilentibus hominibus lites et contentiones usque ad inimicitias suscipiunt. » (1) Horum tamen spectaculorum imaginem nusquam expressam Augustinus exhibuit, sicut alii praedicatores, sive quia in Africa non tam inhonesta erant quam alibi, sive quia timuit ne enucleate describendo audientes magis alliceret, quam avocaret.

Non ideo tamen omnia spectacula christianis Augustinus auferre volebat, sed ea tantum exhibere quae intra Ecclesiae festa agebantur. Ad spectanda igitur praelia martyrum praesertim Hipponenses vocabat, (2) non minus pulchra spectacula, sed magis moribus salubria. (3) Haec spectacula jam christianis a Tertulliano (4) proposita, postea medio aevo christianas turbas allexerunt captasque ferme per trecentos annos tenuerunt, sed Augustini temporibus animi antiquis ludis assueti non tam christiana doctrina imbuti erant, ut ejusmodi spectaculis delectari possint.

Num igitur frustra scenicos ludos lacessivit Augustinus aliique praedicatores ? Non credo. (5) Augustinus enim ipse testatur Hippone (6) pene defecisse ludos ; Bullensibusque exemplum civitatis Simittu proponere potest « in qua nemo intrat in theatrum. Nullus ibi turpis remansit. Legatus ibi voluit agere hujusmodi turpitudines. Nullus principalis, nullus plebeius intravit. » (7)

Per reliquam vero Africam res ita se habere non audeo dicere. Augustinus ipse confitetur Carthaginem theatralium rerum studio ardere. Haec annosa studia ejusmodi erant, quae gladiis Vandalorum magis quam praedicantium verbis tollerentur.

(1) S. 51 n 2. — (2) « Nos sanctos Martyres, quos certantes spectamus, cupimus imitari... Quando leguntur Passiones martyrum, specto, dic mihi : Talis sis et laudasti. Tu specta Minum, specta Pantominum, dicam tibi : Talis sis et noli irasci. » SS. XIV et XVII primum a Migne edit. — (3) Tert. *De Spectac.* passim. — (4) In Ps. 147 n. 21. — (6) « Ad Hipponem nostrum ubi jam talia pene defecerunt. » S. XVI, n. 7 à Migne edit. — (7) S. XVII, n 9.

CAPUT TERTIUM. -- De vita Afrorum privata quid nobis indicent sermones Augustini

Articulus I. — De Matrimonio et de conjugibus

Si ex Ecclesia foroque domos ingrediemur, observatione non minus digna occurrent. Hic enim quasi in angustiore campo dilucidius dignoscere licebit quales domestici mores fuerint quidve momenti antiqua religio aut novus cultus in his haberent, quae ad privatam Afrorum vitam pertinebant.

Matrimonium primum inspiciemus, a quo originem ducit familia. Adversarios ea aetate multiplicis generis habet Sicut olim Marcionitae, Cataphryges et Tatiani, (1) ita et nunc Manichaei et in campo Hipponensi Abeloitaee matrimonium improbant; (2) hi ut Abeli vitam imitentur, illi ne ejus, quod malum principium vocant, partibus faveant. Malum quoque Christianis esse conjugia inire, si nascentibus infantibus peccatum traducendum esset, postea Pelagiani docuerunt. Alii, sicut Tertullianistae, (3) primas tantum nuptias concedebant, secundas damnabant et tanquam adulteria haberi volebant.

His deliramentis interdum animi commovebantur, itaque non semel ea Augustinus redarguenda curat veramque Ecclesiae doctrinam exponendam defendendamque suscipit. Bonum igitur docet esse matrimonium, tum « quia in divina Scriptura commendatur et disrumpi vetatur » tum propter filiorum procreationem et propter ipsam naturalem in diverso sexu societatem. (4) Bonum, ait, conjugii tripartitum est : fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne praeter vinculum conjugale cum altera, vel altero concumbatur; in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur; in sacramento autem ut conjugium non separetur et dimissus aut dimissa ne causa prolis alteri conjungatur. » (5) De secundis autem nuptiis eamdem doctrinam docebat quam Apostolus et Ecclesia latina, (6) eas nempe « non

(1) *De haeresibus* 46 et s. — (2) Ibid. — (3) Id. 86. — (4) *De bono conjugali*, I, c 3. — (5) *Lib. de Gen.* IX, n 7. — (6) Ecclesia graeca secundas nuptias aut omnino damnat aut aegre tolerat « Secundae et tertiae et quartae nuptiae, ait Origenes, ut de pluribus taceamus, reperiuntur et non ignoramus quod tale conjugium ejiciet nos de regno Dei. » S. Basilius scribit bigamos poenitentia per unum annum, triganos per tres annos plecti. Multo minus severam nuptiis iteratis se Ecclesia romana praebuit. Narrat Hieronymus se vidisse « duo inter se paria.... unum qui viginti sepelisset uxores, alteram quae vicesimum secundum habuisset maritum, matrimonio copulatos. » Ep. 122 n 10.

damnari sed inferius honorari et potius contemnendas nisi incontinentia sit impedimento. » (1)

Multa erant qnae de matrimoniis praedicatores hujus aetatis disserebant et de quibus miramur si verba non fecit Augustinus. (2) Nihil habet de aetate qua matrimonium contrahendum sentit, neque quidquam de eligenda uxore; saepe sanctus Joannes Chrysostomus juvenes ad matrimonium cito contrahendum hortatur, amovere videtur Augustinus, dum juvenibus compedes ostentat, quibus in matrimonio ligandi sunt. Ita egisse Augustinum credo, ob studium honoremque quo virginitatem prosequebatur. Siquidem, dum matrimonium laudat magnopere cavet ne cum virginitate conferat, errorisque vituperio notat eam opinionem, qua nuptiaé virginitati aequantur, non secus ac eam qua istae damnantur : virginitatem enim qui voverunt Angelorum vitam ducunt in terra et incipiunt ante mortem, quod ceteri tantum post resurrectionem. (3)

Matrimonii vero finem saepius in audientium mentes revocandum Augustinus ducit, in quem institutum est, ea dicendi libertate utens, quam mores tunc patiebantur, sed quam nos usurpare non licet. Exemplum igitur profert antiquorum patrum « qui non accedebant ad carnalem commixtionem nisi procreationis causa. (4) Qui enim ait, uxoris carnem amplius appetit quam prescribit limes ille liberorum procreandorum causa, contra ipsas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Recitantur tabulae et recitantur in conspectu omnium attestantium et recitantur : Liberorum procreandorum causa et vocantur tabulae matrimoniales. » (5) De ea re vitia multa innuit expressisque verbis impugnat tanquam qui malum saeviens et quod in promptu est notet. (6)

Sed non minori vitio adulterii turpari matrimonium ex Augustini iteratis verbis videtur. « In illa enim tabe, ait, video jacere totum pene genus humanum, in illa video plus laborare. » (7) Et revera nullam occasionem (8) exagitandi adulterii quam Scriptura explananda praebet, umquam omittit ; ita ut auditores moleste ferant (9) illum tam saepe de adulterio sermocinari.

Inter eos qui offendebantur Augustini verbis primum, credo, locum mariti obtinebant, quippe quibus multo meliorem condicionem lex et consuetudo concederent quam christiana religio. Opinio enim erat vulgata non tam stricto vinculo ad fidem servandam illos quam uxores teneri ; itaque ea sic invaluerat, ut « jam et mulieribus, aiebat Augustinus, forte persuasum sit licere hoc

(1) *Lib. de bono viduitatis*, passim. — (2) Cf. S. Joan. Chrys. *Homilia de Matrimonio. Hom. 73 in Matth. In Genes.* 38. — (3) *De Sancta Virginitate*, I, 19. — (4) S. 132 n. 2. Ep. 262. — (5) S. 51 n. 25. — (6) Id. n. 22. — (7) S. 9 n. 11. — (8) S. 7 n. 10. S. 9. S. 161. S. 82. S. 162. S. 343. — (9) S. 392 n. 3-4.

viris, non licere mulieribus, neque ipsae auderent conqueri de viris suis. Solent audire adductas mulieres esse ad forum, quae forte cum servis inventae sunt; adductum virum ad forum, quia inventus est cum ancilla sua nunquam audierunt. » (1) Attamen, ut Augustinus docebat, par erat peccatum et « in peccato pari innocentiorem faciebat videri virum non divina veritas sed humana perversitas. »

Alii viri se sine culpa, aut cum levi tantum culpa, ad meretrices, dum ab aliena uxore abstinerent, accedere se licere putabant, aut saltem una concubina uti ; indignabantur igitur cum episcopus concubinam et meretricem pari vituperio notaret. (2) Sed saltem intra domum se antiqua jura servavisse idem credebant, et quolibet modo ancillis uti sibi, ut olim, licere ratum habebant : « Ancilla mea concubina est, aiebant... At non licet mihi in domo mea facere quod volo ? » (3) Atque Augustino illa vetari per evangelicam legem saepe et enixe approbandum erat.

Sed non hac tantum dissentiebant jura fori, ut Augustini verbis utar, et jura caeli. (4) Per leges enim dissolvi matrimonium, at non per Ecclesiam licebat. Itaque curabat cum maxima diligentia Augustinus Catechumenos, (5) cum baptismum recepturi essent, et saepissime etiam fideles de hoc discrimine imprimis monendos. Ea enim erat jam Ecclesiae doctrina vulgatissima non licere uxorem dimittere, nisi solius fornicationis causa, neque illa vivente licere aliam ducere, neque cum dimissa alia conjuge cujus prior maritus vivebat : Attamen de iis rebus quaedam controversiae aut dubia erant : « Quoniam, aiebat Augustinus, malorum Christianorum mores... habuisse non videntur hoc malum, ut alienas uxores ducerent viri, aut alienis viris feminae nuberent, inde fortasse apud quasdam Eeclesias negligentia ista subrepsit, ut in catechismis *Competentium* nec quaererentur nec percuterentur haec vitia ; atque inde factum est ut inciperent et defendi, quae tamen in baptizatis rara sunt adhuc, si ea nos negligendo non densa faciamus. » (6)

Mirabuntur fortasse aliqui quod inter christianos praedicatores tam sepe praecepta de ea re commemorant testanturque inde parum ea servari. At oblivione non praetereundum est, quanta vitiorum tabe jampridem Romae et in orbe romano familiae inficerentur, quam frequentia divortia adhiberentur. Leges haec tanta mala, cum curare non potuissent, toleraverant ; christianae autem religioni cum grassari incipit, natura, mores et lex impedimento fuerunt. Itaque in re tam gravi difficilique intelligitur pari victoriam non potuisse, nisi longo post intervallo. De

(1) S. 9 n. 4. — (2) « Meretrix non est quam habeo, concubina mea est. O sancte episcope, meretricem fecisti concubinam meam ! » S. 224 n. 3. — (3) Ibid. — (4) S. 392. — (5) Id. n. 2. — (6) *De fid. et oper.* c. 35.

bonis ideo moribus religio christiana meruit, dum conjuges sanctiores efficit divortiorumque numerum minuit. At haec rara in baptizatis (1) esse nuper dixit Augustinus, et aliquando exemplis ostendit quantum Ecclesiae leges ad impedienda divortia valerent. (2)

Non omnia conjugum officia in matrimonii fide vinculoque servandis constabant, aliis quoque commerciis colligabantur conjuges in quibus multa religio christiana mutaverat. Etsi ejusdem juris utrumque in hoc primo officio statuebat ; non ideo in ceteris Discrimen natura praescriptum certe servabat ; secundum Pauli Apostoli verba Augustinus docet « virum esse caput mulieris, mulierem viro debere servitutem. » Potestatem igitur mariti ferre debent uxores ; probat itaque Augustinus consuetudinem qua conjux maritum suum dominum (3) vocat, nec dicere dubitat : « Si uxor marito dominatur, pax perversa ; si autem uxori maritus dominetur, pax recta. (4)

Num ideo Augustinus et christiana religio ea dura condicione quasi servili mulieres regi volebant, quam antiquae leges imposuerant ? Absit. Quamvis matri suae laudi vertat quod a marito nunquam plagas acceperit, parum probabat, credo, illos crudeles viros quorum mulieres « vestigia plagarum etiam deshonestata facie gerebant. » (5) Illam enim, quam ancillam vocabat, et « sociam in adjutorium » (6) esse commemorabat ; utrumque igitur conjugem eorumdem operum participem esse volebat. Itaque cum occurrunt explananda Evangelii verba, quibus monentur christiani *ne sciat dextra quid faciat sinistra*, absurdam et irridendam eorum opinionem declarat qui dicunt sinistrae nomine uxorem significari : « Si, ait, ab altero ita erogetur aliquid de re familiari, ut sit contra alterius voluntatem, non erit christianum tale conjugium. » (7) Vituperavit igitur quamdam Ecdiciam quae, nescio viro, magnas eleemosynas largita erat, et hortatus est ut veniam a marito peteret, « quia in eum peccaverat quod praeter ejus consilium et voluntatem de rebus suis fecerat, quod faciendum putaverat, non ut illam poeniteret tribuisse pauperibus sed eum sui boni operis participem et moderatorem habere noluisse. » (8)

Praeterea amore mutuo conjuges nectendos ducebat, monebatque ut propter se ipsi se amarent, non propter divitias, nam « non diligit, ait, uxorem suam qui propter dotem illam, non maritum caste diligit quae propterea diligit, quia aliquid donavit aut quia multum donavit. » (9)

At mulierem laudat « quae viro devota est, quae illum diligit,

(1) *De fid. et oper.* loc. cit. — (2) In Ps. 149, n. 15. — (3) *Ad. Eph.* V, 21 et s. — (4) S. 9 n. 3. « Tu dominus es, illa ancilla... Deus fecit utrumque, istis tabulis subscripsit episcopus, ancillae vestrae sunt uxores. » S. 332, n. 4. S 36 n. 7. — (5) In Ps. 143, n. 6. — (6) *Conf.* IX, c. 9. — (7) *De Genes, ad. litt.*, l. IX, c. 5. — (8) *De serm. Dom. in monte* l. II, 6, 7. — (9) Ep. 262, n. 11. — (10) In Ps. 55, n. 17.

quae illi semper etiam se ornando placere studet. » Nam « non se ornat nec propter oculos suos, nec propter oculos alienos. » (1) Itaque illam austeriorem Ecdiciam improbat quae, quia continentiam voverat, habitum atque vestitum humilem induerat.

Ante omnia enim concordiam inter conjuges servandam volebat, ut non semel declaravit. Itaque cum prisco christianorum ardore tum etiam ferventes, non pauci (2) conjuges, continentiam ex communi sententia voverent, his gratulatur Augustinus, ad hunc agendi modum auditores saepe hortatur, attamen concordiae continentiam postponit, nam, si inde aliquid jurgii accidat, illam neque suscipi, neque diutius servari patitur. Concordiae etiam tuendae causa marito suadet ut multa molestissima (3) in uxore ferat, mulieribus vero ut ad idipsum aliquid de jure suo cedant : « Aurum tuum vendit maritus, pro necessitate sua ferto, femina : ferto, ancilla ; noli litigare, noli contradicere, contemptus auri tui dilectio est viri tui. » (4)

Mulieribus sane non concedit ut « eam gloriam sibi servent, qua solent a maritis impudicis matronae laudari, quia impudicitiam virorum suorum aequo animo ferunt. » Attamen inter eam mulierem, quae invitum maritum vult ad continentiam cogere, et illam quae injurias Monnicae matris more, tolerat quas corrigere nequibat, posteriori palmam certo dabat.

Haec enim speciem pulcherrimam christianarum uxorum praebuisse ei videbatur, quam aliis sic ipse exhibebat : « Tradita viro servivit, veluti domino et sategit eum lucrari tibi [Domine] loquens te illi moribus suis... Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet, inquam, simultatem. Exspectabat enim misericordiam tuam super eum, ut in te credens castificaretur. Erat vero ille, praeterea, sicut benevolentia praecipuus, ita ira fervidus, sed noverat hinc non resistere irato viro non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jam vero refracto et quieto cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat si forte ille inconsideratius commotus fuerat. » (5)

His laudibus digna erat certe Monnica quae efferretur, at scire cuperemus aliine multi viri aut mulieres in Africa ita componerentur, ut iisdem essent digni. Ad credendum inclinant animum cum plurimae inscriptiones (6) in sepulcris positae tum haec Augustini verba religioni christianae laudi vertentis quod melius matrimonia instituit : « Tu, inquit, feminas viris suis non ad explendam libidinem sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia

(1) In Ps. 37 n 5. — (2) S. 51 n. 21. — (3) *De Serm. Dom. in monte* I, 54. — (4) S. 392. — (5) *Conf.* IX, 22. — (6) *Recueils de la Soc. arch. de Const.* « CONJUX RARISSIMA, OBSEQUENS ET CASTA CUM GRANDI PIETATE, 1853, p. 65. CONJUX UNO ANIMO, UNO CONSILIO SEMPER FRUITA VITA MECUM. 1867, p. 416. UXOR PROBATISSIMA, UXOR SANCTISSIMA, MARITUS DULCISSIMUS, CONJUX RARISSIMA, etc., etc. XXI, p. 217 et s.

subjicis. Tu viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. » (1)

Haec tam alacri et prompto ore certo non praedicavisset coram hostibus si facile redarguendi eis copia fuisset.

Articulus II. — De pueris. — Quomodo educarentur

Secundum locum in familia obtinent filii et eorum procreandorum causa magna ex parte institui matrimonium familiamque constare saepe, ut diximus, Augustinus praedicat. Audientibus etiam quoties hunc finem matrimonii esse doceat Augustinus, videntur Christiani aut oblitos aut parum curare. Et revera pauci filii in familiis inveniuntur de quibus Augustinus mentionem habet. Raro plures quam unus aut duo filii in familiis esse dicuntur et expressioribus verbis Augustinus Africam orbitate puerorum laborare innuit : Parentes, (3) ait, aliquando cum generant unum filium, duos, tres jam timent generare, ne faciant alios mendicare. Augustinus vero Ecclesiae doctrinam edoctus, pueros, matrimonii decus, Dei dona vocabat : « Multae, aiebat, sunt terrenae multiplicationes, felicior autem filiorum, quanquam avaris etiam ipsa fecunditas molesta est. Timent enim ne pauperes relinquantur qui multi nasci potuerunt. » (4) Crederes tum etiam exstare Taciti et Petronii tempora, quibus summum conjugibus bonum orbitas putabatur; « nam, ait Augustinus, sunt homines qui obsequuntur plerumque senibus filios non habentibus et contemnunt in illis multa, sed majora ex ipsis sperant. » (5)

Iis, quibus nati sunt filii, Augustinus parum praecipit ut suos diligant : satis persuasum habet ad hoc parentes, natura duce, incitari; (6) hunc amorem disciplina magis moderandum curat. Vellet patres magis commoveri cum filios peccantes luxuriose audirent, quam cum mortuos viderent. (7) Hoc durius, credo, auribus audientium personabat, sed sentit Augustinus molliori affectui patres indulgere ac saepe monendos ut disciplina severiore utantur. (8)

Haec fere sola verba de educandis pueris coram populo Augustinus fecit; quod eo magis dolemus quo plura per curricula omnium studiorum transgressus nobis tradere potuisset. Sed quia ea res tunc magis privata quam publica erat, neque occasio, neque tempus de his disserendi Augustino occurrit. Satis enim

(1) *De Morib. Ecc. cath.* I, 63. — (2) Ecdiciae unus est filius, Romaniano duo. Eraclius diaconus unicus filius est, Valenti diaconus unus est frater. S. 354. Alypius videtur esse filius unicus. (3) S. 57 n 2. — (4) In Ps. 137 n 8. — (5) S. 45 n 2. — (6) Loquitur tamen Augustinus de « plerisque qui obliviscuntur quod patres sunt omnique humanitatis affectu expoliati exponunt filios suos, ut faciant alienos. » In Ps. 137 n 8. (7) In Ps. 37 n 24. — (8) S. 13 n 9.

erat Hipponensibus « ut pueri pudore et liberalitate erudirentur, erubescerent patrem offendere, non tanquam severum judicem timerent. » (1) Praedicator vero satis ducebat si patres monerentur ut disciplina sancta filios regerent. (2)

Ex *Confessionum* locis (3) in quibus narrat Augustinus modum, quo educatus est, videmus pueros in scholam duci in qua a primis magistris legere, scribere et numerare discebant. Fere per omnes civitates aut colonias aut municipia hae scholae inveniebantur. Erant Thagastae et, credo, Hippone. Ad has multi et ferme omnes pueri conveniebant. Hippone enim sunt qui episcopalibus Gestis subscribere possunt et qui non possunt. (4) At major videtur eorum numerus qui scribunt, nam Augustinus ex litteris, quibus quaedam nomina scribuntur, argumentationes saepe ducit. (5)

Pueri qui ultra progredi volebant ad grammaticorum scholas deducebantur. (6) Apud hos *penulatos* magistros seu *litteriones*, ut vulgo vocitabantur, duro labori pueri incumbebant, inter ferulas tristes, sceptra paedagogorum. Vapulabant enim pueri sicut temporibus plagosi Orbilii. Narravit Augustinus quanto vapulandi timore commoveretur, quanto affectu Deum rogaret, ne vapularet. Haec sane meminerat cum diceret : « Quis non exhorrescat et mori non eligat si ei proponatur aut mors perpetienda aut rursus infantia ! Postea etiam aetate provectus puerorum coram populo miserebatur eorumque condicionem tanquam durissimi laboris exemplum afferebat. « Quantis cruciatibus prope quotidianarum plagarum tenera puerorum aetas subditur ! Quantis etiam in scholis vigiliarum et abstinentiae molestiis exercentur non propter discendam sapientiam, sed propter opes honoresque vanitatis ut numeros et litteras et disertas fallacias eloqui discant ! » (7)

Ex Augustini libris perspici potest sat raras grammaticorum scholas. Neque Thagastae inveniuntur, cum Madauras se conferre ipse debeat, neque Hippone-Regio cum ibi ne unus quidem Ciceronis (8) codex inveniri possit. Sed rariores erant rhetorum scholae cum Carthaginem Augustinus venerit, relictis Madauris ut rhetoricae studeret.

Non nobis propositum est qua ratione rhetorica pueri instituerentur narrare. Nihil ea de re peculiare Augustinus habet ; quales mores praesertim discipulorum fuerint luculenter indicat. Quos valde improbat, nec immerito ; nam non solum, ut ex Augustini exemplo patet, libidini, sed et foedae licentiae Carthagine plerumque indulgebant, « *Eversorum* nomen infamiae causa sibi merito impositum, velut urbanitatis insigne petulanter

(1) Ibid. — (2) In Ps. 150 n 24. — (3) *Conf.* I, 9, 12, 13, 14, II, 3. — (4) Ep. 213 n 6. — (5) In Ps. 95. *Tr. in Joan.* IX, 14. Ea de re haec Augustinus « servi ; ait, quando eunt in auditorium domini ipsorum, portant post illos codices et foris sedent. » — (6) S. 5 n 5. — (7) S. 70 n 2. — (8) Ep. 118 n 2.

ostentabant, vindicabantque eversionibus, quibus proterve insectabantur ignotorum verecundiam, quam perturbarent gratis illudendo atque inde pascendo malevolas laetitias suas. » (1) Non mirum si magister factus, Augustinus mores eorum ferre non potuit « qui irrumpunt, ut aiebat, impudenter et prope furiosa fronte perturbant ordinem quem quisque discipulis ad proficiendum instituerat. Multa injuriose faciunt mira hebetudine et punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit. » (2) Non ea licentia Romanae scholae laborabant sed, alia non minus foeda. Cum alicui magistro nomina dedissent, mercedem pactam fraudabantur et tempore certo, conspiratione facta, se transferebant ad alium. Facile intelligitur ejusmodi homines moresque Augustino mox fastidio fuisse. (3)

Christiani vero quales se erga studia habuerint cognoscere operae pretium esset. Utrum utilia ea an noxia duxerint, ex Augustino expresse compertum non habemus sed per ejus scripta nos conjectura persequi licet. Monnicam, illam christianam magnique animi mulierem, optantem videmus ut filius summo cum studio in litteris versetur, rata « non solum nullo detrimento sed etiam nonnullo adjumento ad Deum adipiscendum futura usitata illa studia doctrinae. » (4) Eamdem autem Augustinus sententiam probabat cum Deo grates persolveret quod vapulaverat coactusque discere fuerat, « nam, ait, bene mihi fiebat. » (5)

Attamen timor esse poterat ne quid periculi eorum fides adiret, qui litteris erudiebantur. Etenim iis libris praelegendis interpretandisque studia exercebantur easque deorum fabulas pueri ediscebant quorum cultum christiani tollere studebant. Hoc periculo neque primi Christiani commoti videntur, cum ipse austerior Tertullianus fidelium pueros in scholis versari ferat, neque unquam de fide filii studia agentis sollicita Monnica dicatur. Postea sane modum erudiendae juventutis Augustinus improbavit. Magistris enim vitio vertit quod deos exhibent, quorum exempla bonis moribus noceant ; aut per inanes orationum exercitationes juvenum animos instituunt, (6) nunquam tamen quod fidem christianam discipulorum evertunt, aut minuunt. Quin etiam ille qui coram populo poetas et scriptores quasi alienos et ignotos insectatur, solebat, cum christianus factus esset, ante cenam cum discipulis et amicis dimidium volumen Virgilii quotidie audire et, dum contra paganos quam maximo impetu pugnat, Virgilium non indignatur a Christianis legi, sed contra laudibus eum extollit « apud quem propterea parvuli legunt, ut videlicet poeta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus teneris ebibitus animis non facile oblivione possit aboleri. » (7)

(1) *Conf.* III, 3. — (2) Id. V, 14. — (3) Id. V, 22. — (4) *Conf.* II, 8. — (5) Id. I, 12. — (6) Id. I, 25. — (7) *De Civ. D.* I, 3.

Rhetoricam etiam quamvis despicere videatur, divini eloquii praeconibus adhibendam censet multaque ea de re praecepta tradit, quae nunc proferre nostrum non ducimus. (1)

Philosophos vero exagitat quidem, dum verba coram populo facit. Eos enim reprehendit quod, postquam Deum cognoverunt, stulte idolis servierunt (2) superbiaque amiserunt quod curiositate invenerunt. (3) Attamen Christianorum nemo tam magnifica verba de his habet et praesertim de Platone « illo sapientissimo et eruditissimo viro qui et ita locutus est ut quaecumque diceret magna fierent et ea locutus est ut quomodocumque diceret parva non fierent. » (4) Scio illumt antae laudis dein poenituisse, (5) sed non dubitavit etiam postea Platonem « qui perfectam dicitur composuisse philosophiae disciplinam » (6) laudare eumque honoribus divinis digniorem praedicare quam deos illos qui, ludos scenicos sibi exhiberi jusserunt. Horum scriptis ideo non modo non amovet Christianos sed, ut utantur, sic hortatur : « Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. » Inter ea bona auferenda recenset « liberales disciplinas usui veritatis aptiores et quaedam morum praecepta utilissima deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera... (7) Vestem quoque illorum, inquit, id est, hominum quidem instituta sed tamen accommodata humanae societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertendum christianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri ? »

Si persuasum Augustinus habuisset christianam fidem aliquid damni passuram ex paganorum praelegendis scriptoribus, cum potiorem fidem quam cetera haberet, aut ab scholis abstinendum, aut saltem, si res fieri non posset, scriptores sacros praelegendos censuisset ; ad eam sententiam eo libentius mens ei inclinavisset, quod sacrorum scriptorum nonnullos eidem fere virtutibus commendari putabat, quibus pagani. (8) In eam sententiam nunquam Augustinus venit, neque episcoporum quisquam, nisi tantum cum Christianis Juliani decreta scriptoribus profanis interdixerunt. Augustinus autem, quo in his eruditior alter inter Christianos non fuit, hos scriptores non magis ab Christianorum manibus quam a praedicatorum sermonibus rhetoricam amovendam censuit. Eo pacto de christianis litteris optime meritus est : siquidem ejus auctoritate ducti christiani magistri sapientissimi praestantesque oratores viam ingressi sunt in qua optimam laudem nonnulli postea sunt assecuti.

(1) *De Doctr. Christ.* IV, Cf. Lézat : *De oratore christiano apud S. Augustinum,* 1871. — (2) S. 141 n 3. — (3) Ibid. — (4) *Contr. Acad.* III, 17. — (5) *Retract.* I, 3. — (6) *De civit. Dei.* VII, 58-59. — (7) *De doctr. christ.* II, 40. — (8) Id. IV, 7, 20, 21.

Articulus III. — De condicione personarum privata — De servis — De pauperibus — De divitibus.

Intra domos quae genera hominum essent, qualem vitam degerent, quibus artibus victum quaererent otiive tempora tererent, exponendum nunc nobis occurrit.

Servi primum propter multitudinem nostros in se convertunt oculos; Augustinus enim describit « impium in multitudine mancipiorum delectantem, » (1) quotidianam dicit « potestatem hominis in hominem omnesque prope domus habere hujusmodi potestatem. » (2) Quod facile credimus cum perhibetur nobis « diaconus Hipponensis, homo pauper, qui de laboribus suis, antequam esset clericus, emerat aliquos servulos. » (3)

De horum servorum condicione quid legibus sit statutum compertum habemus, at cum mores interdum cum legibus discrepant, scire velimus meliorne ex moribus eorum condicio effecta sit, ex quo christiana religione mores coepti erant informari.

Mirationi nobis esse potest quod christiana religio, cum omnia novaret et « in Christo instauraret, » esse servitutem passa est, neque tollendam curavit. Sed antequam res civiles publicasque mutaret, in hominibus singulis emendandis versabatur moresque magis quam leges corrigere conabatur. De servitute autem Apostoli Pauli (4) ea sententia fuerat, quam Ecclesia servandam censebat, « servos dominis suis subditos esse debere, ne nomen Dei et doctrina blasphemaretur. » Neque praetereundum servitutem tunc nemini rem tam deformem turpemque videri quam recentioribus nobis. Assueta vilescunt etiam pessima consuetudine minuuntur.

Legitimam igitur justamque servitutem Ecclesia esse sentiebat. Ea de re nullam controversiam moveri Augustini quaedam verba sinunt : « Est, ait, ordo naturalis... ut infirmior ratio serviat fortiori. Haec igitur in dominationibus et servitutibus clara justitia est ut quae excellunt ratione excellant dominatione. » (5) Imo ducit servitutem quibusdam utilem (6) esse et a Christo (7) impositam. Non ideo putat natura statutam, nam « hominem rationalem factum ad imaginem suam noluit (Deus) nisi irrationalibus dominari, non hominem homini sed hominem pecori. » (8) Nullus autem natura, in qua prius Deus hominem condidit, servus est hominis. Condicio quippe servitutis jure intellegitur imposita peccatori.., Nomen itaque istud culpa meruit non natura » (9) Illud autem nomen rei originem indicit. Inde enim ductum

(1) In Ps. 36 n. 12. — (2) In Ps 124 n. 7. — (3) S. 356 n. 6. — (4) *Ep ad. Philem. Ephes* VI, 5. I, *ad Timoth.* VI, 1. — (5) *Quaest. in Heptateuch.* I, 53. — (6) *De civit. Dei.* XIX, 21. — (7) In Ps. 124, n. 12. — (8) *De civit. Dei.* XIX, 15. — (9) Ibid. *Tract. in Joan.* VI, 25.

Augustinus putat « quod hi qui jure belli possent decidi, a victoribus cum servarentur, *servi* fiebant, *a servando* appellati. »

Haec servitutis defensio, quae nobis recentioribus parum placet, causam explicat cur Christiani tollendam non senserint Augustinusque auditores hujusmodi verbis interdum monuerit : « Contigit tibi, ait, ut Christianus efficereris et haberes dominum hominem, non ideo Christianus effectus es ut dedigneris servire. » (1)

Servisne idcirco nihil boni christiana religio attulit ? E contra primo eos coram se ipsis aliisque honestavit. Servitutem sane aliqui stoici philosophi jam impugnaverant. Neque tamen inter paganos deerant qui a temporibus Augustini putabant « neque hominibus, neque diis servos curae esse debere » (2). Sentiebant contra Christiani homines esse servos, neque ulla re dissimiles nisi libertate adempta : cum aliis igitur unum Deum creatorem, unum omnium patrem Adamum habere praedicabantur ad idem caelum (3) vocati ideoque eodem jure in Ecclesia fruebantur, ad eadem sacramenta admittebantur, etiam ad matrimonia justa ,(4) et in monasteria (5) recipiebantur, aliquando etiam ad honores evehebantur. (6) Etsi igitur jure civili liberis pares non essent, attamen « in Ecclesia personarum acceptio non erat. » (7)

At servorum condicionem Ecclesia non satis duxit honestare, sed et mitigare studuit. Neque posterior, neque segnior in eam viam Africana Ecclesia ingressa est. Scimus quam dura atroxque esset servorum condicio et quamvis Antoninorum imperatorum legibus cautum esset ut mitior fieret, attamen semper potentiam dominationemque nimiam in servos domini exercere poterant. Augustinus quoque « omnem servitutem amaritudine plenam esse » testatur et ex ejus verbis liquet tunc etiam « probrissimis conviciis affici servos, verberari, in compedes mitti, carcere includi, pistrino conteri, » (8) Is malis remedium afferre Ecclesia conata est ejusmodi ; episcopo servorum cura erat. (9) His itaque verbis dominos Augustinus alloquebatur : « Minimos vestros nolite contemnere, domesticorum vestrorum salutem omni vigilantia procurate » (10) Monebat simul Christianos non licere sic possidere servum quomodo equum aut argentum. (11) et si injuste domini servos vexavissent quamvis praecipere illis non audeat, ut a servis veniam petant, ne hi superbiant, blandius tamen dominos servis loqui vult ut inde videantur rei male gestae dominos poenitere. (12)

(1) In Ps 124 n. 9. — ( ) « Quasi curent divina de servis, aut sapiens quisquam domui suae contumeliam tam foedae societatis admittat. » Macrob. *Sat.* II, 11. (3) « Quando Christus in claritate sua apparens congreget ante se omnes gentes videbis ibi multos servos inter hoedos. In Ps. 124, n. 8. — (4) L. Duchesne : *Les Origines chrétiennes*, p. 300 et s. — (5) *De oper. mon*, loc cit. --- (6) *Philosophumena*, IX. --- (7) *Ad Ephes.* VI, 9. --- (8) In Ps. 96, n. 12. S. 161, n. 9. --- (9) S. 94. --- (10) Ibid. --- (11) *De Serm. Dom. in monte.* I, 59. --- (12) In Ps. 211.

Ecclesiarum simul portae male vexatis servis patebant eoque confugere licebat, donec domini ira defervesceret. (1) Interea illi monebantur ut memores essent, Christo jubente, non homini, sed illi qui jussit, se servire, « servitutem ipsam temporalem, secundum tempus, illum autem verum dominum et aeternum. » (2)

Res ita demum componebantur, sicut Augustinus praedicat, ut, suadente Ecclesia, « dominis servi non tam condicionis necessitate quam officii delectatione docerentur adhaerere, et domini servis summi Dei, communis Domini consideratione placabiles et ad consulendum quam coercendum propensiores fierent. » (3)

Sed quaeri potest Ecclesiaene servi dignitas curae ita esset ut libertate eos donare studeret. Videtur Ecclesia Africana servorum emancipationi favisse. Accepimus enim cum Constantinus manumittendorum servorum copiam episcopis in Ecclesia, nulla alia ex juris formulis servata, fecisset, Africani episcopi, duce Aurelio Carthaginiensi episcopo Augustinoque amico, ut haec sibi in Africa concederetur potestas, ab imperatore petierunt. (4) Illam credimus concessam cum Augustinus modum describat, quo in Ecclesiae manumissiones fieri solebant. (5) Sed quamvis Ecclesia libertatem in praemium servo bene merito concedi probaret, non censebat propter se ipsam libertatem exoptandam, neque sperare videbatur unquam futurum esse ut omnino tolleretur. Itaque cum tam saepe Augustinus opera bona Christianorum recenset, aut ad quos usus divitias adhiberi debeant, inter ea nunquam ponit (6) servorum manumissionem. Postea tantum manumissiones fient *pro redemptione animae et pro remedio animae.* » (7)

Haec fuit, credo, sententia tam mitis viri, tamque doctrina christiana imbuti, cum persuasum haberet non posse tolli servitutem, in id praesertim episcopis incumbendum, quod consequi possent, hoc est, ut insanabile vulnus illud, minus molestum Christiana caritate fieret.

Liberi autem homines in Africa, sicut in ceteris imperii partibus, in multas classes distribuuntur ; in legibus eo tempore ad Africam datis indicantur *illustres, spectabiles, senatores, clarissimi, sacerdotales, principales, decuriones, negociatores, plebei ;* Augustinus in Ecclesia pauperes et divites tantum alloqui videtur. De his sentit fere quidquid semper alii christiani

(1) *Tr. in Joan.* 41, n. 4. — (2) In Ps. 124, n. 7. — (3) *De Mor. Ecc. cath.* I, 63. — (4) *Cod. canon. Afric.* can. 82. — (5) « Servum tuum manumittendum manu ducis in Ecclesiam, fit silentium, libellus tuus recitatur aut fit desiderii tui prosecutio. Dicis te servum manumittere, quod tibi in omnibus servaverit fidem. Hoc diligis, hoc honoras, hoc donas praemio libertatis. » S. XXI, n. 6. — (6) S. 38 n 8. S. 50 n 7 et 8. In Ps. 83 n 7. — (7) Le Blant *Inscript. chrét. de la Gaule,* n 374, 379, II, p. 7 et 8. —

doctores senserunt, at hujus ingenio sapientiaque praestantissimi viri sententiam plane inquirere operae pretium erit.

Neque paupertatem bonam, neque divitias malas propter se solas (1) esse ducebat. Itaque christianos, repugnantibus Manichaeis, (2) agros et domos et pecunias possidere licere docebat; sed ex horum usu tantum bona vel mala contingere. Re tamen ipsa divitias esse putabat multis Christianis damno, inde enim fere semper superbia, divitiae maximum vitium : « Difficile est enim, aiebat, ut non sit superbus qui dives est... Tolle superbiam divitiae non nocebunt... (3) At forte minus facile vitatur avaritiae periculum, nam quo plura habentur, eo plura cupiuntur. Plus egent quanto plus habent, desideriis vastantur, cupiditatibus decipiuntur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt. (4) Ab divitiis igitur procul abest pax, quae Christiano propria, sed sollicitudo multa, timor et mentis agitatio. » (5)

Quo igitur modo erga divitias christiani se habere debeant? Non quidem bonum est, cum absunt, eas expetere, sed non ideo, cum adsunt, abjicere necesse. « Ita enim aurum et argentum distribuit hominibus conditor rerum et administrator Deus, ut ipsum per se natura et genere suo bonum sit, quamvis non summum et magnum bonum, et pro gradu sui ordinis laudabilem conditorem universitatis ostendat. » (6) Si cui igitur divitiae contigerunt, ei haec potior cura sit, ut bene utatur; bene vero is utitur « a quo praebetur hospitalitas peregrinis, aluntur famelici, nudi vestiuntur; inopes adjuvantur, captivi redimuntur, construuntur Ecclesiae, reficiuntur lassi, pacantur litigiosi reparantur naufragi, curantur aegroti. (7)

Exhinc jam conjici potest, quid de pauperibus Augustinus senserit. Pauperes maximae curae multis episcopis hujus aetatis fuerunt : satis sit sanctos Basilium et Joannem Chrysostomum memorare; nemo tamen, credo, cum majore studio affectuque pauperes est prosecutus quam Augustinus. Priusquam episcopalem cathedram ascendit, bonis derelictis, pauper ipse factus est, dein, dum verba sermocinando fecit, nullam occurrentem occasionem paeteriit quin suos compauperes, (8) ut ejus verbis utar, commendaret. Blandissimis igitur hortationibus elegantissimisque similitudinibus utitur (9) ut causam pauperum coram divitibus tueatur : « Si, verbi gratia, invenires aliquem inopem de transmare, aut quo ire velles invenires civem inde aliquam necessitatem patientem, diceres tibi : Civis iste inde est quo ego volo ire; ego hic do illi quod ibi mihi reddat. Ecce eget hic pauper, civis est regni caelorum : quid dubitas facere trajectitium? Si enim dant qui hoc faciunt ut plura

(1) L. 52 *de haereticis* C. Th. XVI, 5, anno 412. — (2) S. 50 n 5 et s. (3) *De Morib. Eccl. cath.* I, 78. — (4) S. 39 n 4. — (5) In Ps. 29 n 17. — (6) S. 345 n 4. — (7) S. 50 n 5. — (8) Ibid n 7. — (9) S. 14 n 2.

accipiant cum ad ea loca venerint, unde est ille qui accepit, faciamus et nos (1) « Pauperes igitur Deus, ait, *laturarios*, instituit qui opera nostra in thesaurum caelestem portarent, (2) canales sunt per quos res nostrae praecedunt nos in caelum. » (3) Non mirum igitur, si, cum omnia per barbarorum incursationes perturbarentur, de pauperibus praesertim levandis vestiendisque sollicitus Augustinus est absensque populum clerumque Hipponensem epistola (4) hortatur ut carississimos sibi pauperes curent foveantque, neque quod eum pauperes aliquando precantur, cum verba prope facturus est, ut de ipsis loquatur. (5)

Sed quamvis tanto studio pauperibus faveat, non ideo blanditur, neque majoribus aequo laudibus extollit. Pauperem enim non tantum eum ducit qui divitiis indiget, sed qui divitias non appetit, qui humiliter de se sentit, qui non superbia se effert, neque qui loco omnium virtutum esse paupertatem putat. His igitur ut erogent divites hortatur, sed tantum pro viribus suis quisque faciat, « non sic faciat, ut ipse patiatur angustias... Qui plus habet plus faciat. » (6) Quamvis optaret Augustinus ut ejusdem condicionis omnes Christiani participes sint ; sapientior est ut hoc votum palam exprimat, sed cum moderatione poscit, quo certius propositum consequatur : « Non ita hoc dixi, ait, ut divites cogantur epulis et cibis pauperum vesci. Utantur divites consuetudine infirmitatis suae, sed doleant aliter se non posse... Utere cibis electis, pretiosis, quia sic consuestis quia non aliter potes, quia si consuetudinem mutes, aegrotas ; conceditur tibi ; utere superfluis, da pauperibus necessaria, utere pretiosis, da pauperibus vilia. » (7)

Quid ad pauperes levandos hoc studium, haec tanta sapientia moderatioque valuerint non expressis verbis indicat Augustinus, neque quot pauperes essent, neque quot divites, neque quibus eleemosynis eis subveniretur. Neque in ejus sermonibus eas luxus aerumnarumve exempla descriptionesque unquam invenimus, propter quae tam vehementer in divites Joannes Chrysostomus invehebatur. Quod Augustino non contigisse, credo, nisi propterea quod in Africa ad summum culmen neque egestas, neque divitiae veniebant.

Divitibus autem pauca, Augustinus si eum cum aliis praedicatoribus confers, vitio vertit. Eorum, ut vidimus, tantas largitiones improbat in theatricas res, quae in pauperum manus melius effunderentur ; sed cum eorum luxum reprehendit, insequitur maxime memorias eorum auratas marmoratasque, funerum pompam, stratos vestibus pretiosis lectos, (8) lautissimaque et luxuriosa convivia, (9) quibus quotidie vescuntur. At nullo, credo, vitio tantum peccabant, quantum ebrietate. Mirum

(1) S. 28 n 9. — (2) S. 38 n 9. — (3) In Ps 38 n 12. -- (4) Ep. 122 n. 1. — (5) In Ps 61 n 13. — (6) S. 39 n 6. — (7) S. 61 n 12. — (8) In Ps. 33. In Ps. 41. In Ps. 48 n 11. — (9) In Ps. 36 n 12.

quantum huic vitio indulgebant Africani quo nihil erat vulgatius « Abundat tale peccatum et contemnitur, (1) aiebat gemens Augustinus. » Jam Christianos vidimus etiam super martyrum Memorias liberaliter perpotare, hancque tam lugendam consuetudinem aegre exuisse. Audimus Augustinum Catechumenos monentem ne die Paschae, quo baptismo erant initiati post meridiem ad Ecclesiam ebrii revertantur. (2) Quin etiam clerici (3) ipsi in hoc vitium relabi Augustinus innuit, et Bonifacium, Africae comitem, tum cum bellum gerit cum Vandalis monendum putat ne plus quam aequum potet. (4)

Sedinter exercitationes multo honestiores otia divites degebant; e quibus venatio habebatur; cum magna vi et apparatu in Africa fiebat : « Quos aestus, aiebat Augustinus, quae frigora, quae pericula ab equis, a fossis, a praecipitiis, a fluminibus, a feris perferunt venatores! Quem laborem esuriendi et sitiendi, quantas vilissimi et sordidissimi cibi et potus angustias, ut bestiam capiant interdum nec ipsius bestiae carnes, propter quam haec tanta sustinent, sunt epulis necessariae ! Quanquam etsi aper cervusque capiatur, magis suave sit venantis, animo, quia captus est, quam comedentis palato, quia coctus est. » (5)

Neque deerant qui, ut documento esse potest Dioscorus, de cujus importunitate Augustinus queritur, (6) in litteris scriptoribusque legendis et scrutandis versarentur. De his etiam inter eloquia exercitationes movebant tractabantque, ut perspicimus ex epistola Volusiani ad Augustinum scripta : « Quibusdam, ait, amicorum conventibus aderamus, frequentes proferebantur illic pro ingeniis studiisque sententiae. Erat tamen sermo rhetorica partitio, apud agnoscentem loquor, nam etiam ista paulo ante docuisti. Astruebatur quid esset inventio, quae inventionis acrimonia, quantus disponendi labor, quae translationis gratia, quae iconismatum pulchritudo, et pro ingenio naturaque materiae apposita etiam dicendi facultas. Alii rursus poeticam elevabant faventes. Ne hanc quidem eloquentiae partem tacitam aut inhonoram relinquis, ut convenienter poeta dixerit :

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

(Virg. *Buc. VIII, 13.*)

« Dicebatur ergo quantus oeconomiae esset ornatus, quae metaphorarum venustas, quanta in comparatione sublimitas; jam leves enodesque versus atque ut ita dixerim caesurarum modulata variatio. Tunc ad familiarem tuam philosophiam sermo deflectit, quam ipse Aristotelico more, tanquam Isocraticam fovere consueveras. Quaerebamus et quid egerit praeceptor ex Lycaeo, quid Academiae multiplex et continuata cunctatio, quid ille disputator ex Porticu, quid Physicorum peritia, quid Epicureo rum voluptas, quid inter omnes infinita disputandi libido, tunc-

(1) S 17 n 3. S. 151 n 4. S. 252 n 4 (2) S. 226 n 4. — (3) Ep. 93 n 48, n 49. — (4) Ep. 220 n 11. — (5) S. 70 n. 2. — (6) Ep. 127. Ep. 128.

que magis ignorata veritas, postquam praesumptum est quod possit agnosci. » (1).

Ejusmodi sermones Augustinus episcopus non libenter forte duxisset, at, credo equidem, delectabatur quod inter nobilium coetus ducebantur. Ex his enim perspici poterat non vili ignavia infimisque voluptatibus nobiles christianos obrui, sed et illis sicut paganis, quos Macrobii et Symmachi scripta colloquentes depingebant, rem litterariam liberaliaque studia cordi esse, spectaculum sane Augustini oculis jucundum.

CONCLUSIO

Instituentibus totam aestimare quam sui temporis imaginem Augustinus exhibuit, in mentem dubitatio venit. Testem, sane, audivimus in rebus versatum quas enarrat, studiique expertem quod eum excaecet ; at, cum tantum a temporibus distamus, non timere non possumus ne nos, qui de nostrae aetatis hominibus tam saepe erramus, vultus lineamenta aliqua tenorque oris effugerit.

Quidquid id est, eorum saltem quae diximus, summam faciamus. Ex iis rebus quae nobis occurrerunt, plerosque Afros suscepisse Ecclesia visa est ; at non sine aliquo damno parta est ea victoria cui magno adjumento fuerant imperii vires aut favoris invitamenta. Inde enim mores inclinati dissensiones multae ortae quibus victricis religionis sinus dilaceratus est. Contra has catholica Ecclesia legum coercitione et doctorum libris adjuta est. Sed contra mores perditos aut labantes quid aliud adhiberi poterat quam praedicatorum eloquentia ? sed quantum praedicatoribus opus occurrebat !

Eorum enim quos tumultuarie sibi religio devinxerat corpora, ut ita dicam, tantum obtinebat, animi ejuratae religioni adhaerebant. Itaque catechumeni per totam vitam nonnulli permanent ut, quam paucissimis Christianis legibus teneantur, alii etiam cum baptismo initiati sunt, eisdem superstitionibus imbuuntur, et, vix ex Ecclesiis egressi, eodem die cum paganis per amphitheatrorum gradus stipantur. Satis esse ducunt, ut christiani sint, si ritus, si jejunia, si festa tempora Ecclesiae servant.

At non eadem sentiebat Ecclesia neque episcopi. Non ignorabant, quidem, Christianos, cum nunc plurimi essent non posse vivere a societate civium segregatos solitariamque in oratione jejuniisque, sicut primis Ecclesiae temporibus, ducere vitam, sed ferre non poterant non moribus sed fide tantum discerni a Paganis Christianos. Itaque Augustinus fidei doctrinam tam dilucide, tam enucleate ea mente exponit ut inde normam morum Christiani accipiant, ut fidem denique non solum ore et corde teneant sed et operibus declarent.

(1) Ep. 135.

Orationibus suis sane non omnia consecutus est, quae expetebat. Queritur quod inter Christianos abundent ebrii, adulteri, foeneratores, superstitiosi et ceteri ejusmodi homines. Num ideo moribus informandis nihil boni attulit religio christiana? Erraret qui ex praedicatorum verbis haec colligeret. Non enim praetereundum vitiis magis quam virtutibus praedicatorum oculos commoveri atque inter ea quaedam esse, quae humana condicio parum cavere aut exuere sinat. Praeterea ne nos lateat semel aut iterum certo ad mores corrigendos Augustini verba valuisse ut ex ejus scriptis constat. Neque avertendi omnino sunt oculi ab illa sancta integraque vita, quam multi clerici africani praesertim Hippone cum Augustino degebant, neque ab iis monasteriis quae complere videmus homines plerosque verae Evangelii disciplinae deditos.

Praeterea ubique pervulgata Ecclesiae doctrina sanctioribus legibus familiam moderatur et quamvis servitutem esse sinat, mitiorem et tolerabiliorem efficit, pauperibus divitum largiores opes comparat et per infima hominum genera mirandam verecundiam pudoremque in rebus agendis diffundit; (2) mores etiam ita componuntur ut Augustinus, licet auditores saepius exagitet, vitia summatim dumtaxat impugnet, raro singula enodatius explicet, perinde ac qui ante oculos habeat. Rem facile intelliget qui Joannem Chrysostomum de moribus disserentem audiet.

Non me tamen fugit cum Salviano me dissidere, qui « Afros hominum pessimos » fuisse dixit et « sicut in sentinam profundae navis colluviones omnium sordium, sic in mores eorum [Afrorum] quasi ex omni mundo vitia fluxisse... Nullam enim improbitatem quae sero illic non redundaverit. In Afris fere omnibus nescio quid non malum. » (1)

Facile est longe intuenti hominum mores inculpare cum de industria quidquid boni omittitur conficiturque opus non cum gravitate scriptoris res gestas narrantis sed cum impetu sententiam demonstrantis oratoris. At constat Salvianum libros suos eo concilio tantum scripsisse ut Romanos populos approbet barbaris oppressos, propter vitia sua sorte dignos fuisse et quo miseriores eo flagitiosiores. Illud cognitum consilium legentis suspicionem jam movet, quae magis augetur cum scimus Salvianum diu post res elapsas scripsisse, neque in Africam unquam venisse. Nullo igitur modo Augustini auctoritas Salviani commentis jure labefactari potest atque illi maxima ex parte assentiri nos recte posse censemus, cum his verbis Ecclesiam alloquitur: (2) « Merito Ecclesia catholica mater Christianorum verissima non solum ipsum Deum, cujus adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas... sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morbo-

(1) Ep. 24 et 29, *De Doctr. christ.* IV, 24. S, 15, n. 9. S. 51 n. 1. S. 87 n. 13. — (2) Ea de re videri potest pulcherrima illa Mediolanensis proscholi historia (S. 178 n. 8) quam inviti omittimus. — (1) Salv. *De Provid.* I, VII. — (2) *De Mor. Ec. cath.* I, 30.

rum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat.

Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis ; tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominos servis summi Dei, communis Domini consideratione placabiles et ad consulendum quam coercendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces ; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia et omnibus caritas et nulli debeatur injuria. »

Has tantas laudes, quibus universam Ecclesiam Augustinus admodum recens catholicus efferebat, si qua Ecclesiae pars mereretur, nulla certe alia magis quam africana, neque unquam tantum meruit, quantum Augustini temporibus. Sed heu ! cum haec personaret, funebris ea laudatio erat. Jam enim in eo venerat Africana Ecclesia ut a Vandalis penitus verteretur. Hoc tantum opus quod per quadringentos annos religio, tot martyres tot tamque praestantes doctores perfecerant, barbaricarum incursationum abstulerunt aliquot menses !

Si nobis populorum vices casusque animo volutantibus, sicut cum de homine exstincto agitur, rerum pulchre gestarum, morum bene institutorum memoria solatio esse potest, Africanae Ecclesiae collapsae illa laus defuisse non videtur.

FINIS

Typis mandetur :

Academiae Burdigalensis Rector,

A. COUAT.

A. d. III Kal. Mart. a. D. MDCCCXCIV.

Vidi ac perlegi

Facultatis litterarum Burdigalensis Decanus

P. STAPFER.

CORRIGENDA

Pag.	Linea	*Pro*	*Lege*
13	2	nuntioque	nuntiosque
22	15	umann	annum
22	43	Carthaginenam	Carthagine. Nam
26	25	novemb.	octob.
26	33	octobr. Carthagine	novemb. eo enim die eveniebat natale martyrum Bolitanorum, quo hic sermo habitus est, ut prae se ferunt codices manuscripti. Carthagine
32	8	aducrunt	adfuerunt.

INDEX RERUM

res ingeniaque Afrorum.
16400